

Handwritten text in a cursive script, likely a list or index, covering the majority of the scroll's length.

No

A

7-40



100

71-2

2a. 8

37

A  
33-128

THE CANADIAN  
CANADA  
A  
37  
400

18  
7  
Biblioteca Universitaria

GRANADA

Señal

C

Patente

33

11

13

De Collegio de Caenno de Regio de Fran

PSALMI DVO

13163 82

DAVID PRO-

PHETAE,

XXXI. ET LXVI.

brevibus & lepidissimis enar-  
rationibus explicati,

Ioanne Fero, Concionatore  
Moguntino autore.

Argumenta utriusq; Psalmi pro-  
xima pagella dabit.



LVGDVNI,

apud Theobaldum Paganum.

1556.  
Dioboliceae Mampago-



ARGUMENTVM

*Psalmi XXXI.*

Quinam beati, & qui iusti. Quam necessaria sit ad veniam, ipsa peccatorum confessio. Peccator non agnoscens peccatum suum, afflictionibus ictus, tandem fateri cogitur. Sanctus pro delictis suis orans, exauditur, indeque gratias agit Deo, qui viam docet ad salutem. Omnia argumentis, exemplis, locisque communibus illustrata.

*Psalmi LXVI.*

David totius populi nomine, rogat obtestaturque, ut regnum Dei quam latissime inter ipsos propagetur, atque adeo pervniuersum mundum diffundatur. Quod quam sit populo Christiano expetendum, precibus, meditationibusque efflagitandum & querendum, Ferus ipse pluribus periochis doctissime & copiosissime persequitur.

## REVERENDO

ET NOBILI DOMINO

IOANNI FOCK A'

Valstat,

Metropolitanae Moguntinae Scholastico  
 meritisimo. &c. Domino & Patrono  
 tuo gratioso Ioannes Ferus s. d.



VANDO contemplor tur-  
 bulentam istam rerum no-  
 strarum faciem, Reueren-  
 de Domine, uir fortunæ  
 dotibus ornatissime, superiorum secu-  
 lorum, ad quæ nos comparatione quasi  
 abortiui sumus, amœnitatem admirari  
 satis nequeo. Quid enim hodie in om-  
 ni ordinum uita habemus ita beatum,  
 quod cum iusto senio conferre rite pos-  
 simus? Si tranquillitatem, si concordiam  
 spectemus, nullus fere locus, nulla or-  
 bis portio est, in qua non arma cala-  
 mitosè perstrepent. Si fidem, quam

A 2

ita



ita extinctam in cordibus hominum  
 atque adeo Christianorum cernimus,  
 ut e contra omne uitium loco præcipiti  
 & regio stare omnibus cernere liceat:  
 Si religionem, quæ ita friget, ut nemo  
 hominum amplius de priuata (publi-  
 cam lubens prætereo) salute cogitet.

Non ergo est, cur quis miretur ma-  
 lorum mare indies magis magisque in  
 capita nostra excrescere. Miremur  
 potius, quod iustus Deus homines ui-  
 tijs ita sordidatos tamdiu tolerauerit.

Si Deus omnipotens, ut sacra Biblia  
 testantur, olim mundum diluuiio per-  
 didit, quod cœperat deprauari, quod  
 creuerat contemptus Dei, adulterium,  
 & tyrannis, quam omnis generis libi-  
 do & petulantia comitari solet. Sic  
 enim textus habet: Sanctorum filij ty-  
 ranni esse cœperunt super terram,  
 &c. Quid nobis opinamur euentu-  
 rum, si nosmet ita contra legem Dei ad  
 omnem turpitudinem, sicut equus &  
 mulus

mulus quibus non est intellectus, pro-  
 stituerimus? Meminerimus itaq; quan-  
 ta sit ira Dei erga peccata & manda-  
 torum diuinæ uoluntatis præuaricato-  
 res. Patres nostri annuntiauerunt nos-  
 bis, cum omnia saluis rebus starent,  
 cum concordi fide & religione uiue-  
 rent, quam bene formatae fuerint res-  
 publicæ, quantus hominum feruor in-  
 uestiendis Ecclesijs Dei, de quo pio stu-  
 dio, & Dauid suum laborem commen-  
 dat: quanta denique omnium ciuium  
 mutua societas: ita ut nos, in quos hora  
 mundi uespertina deuenit, priora se-  
 cula rectè aurea, nostra uerò tota lu-  
 tea esse fateri cogamur. Voluit au-  
 tem Deus commemoratas iam Patrum  
 nostrorum uirtutes etiam singulari  
 diuinæ suæ bonitatis munificentia or-  
 natas lucere, quò uerè ac perpetuò  
 agnoscerent, pios habere propitium  
 Deum. Quæ ad communem tranquil-  
 litatem, defensionem publicam, quoti-

dianam uitæ sustentationem necessaria desiderabantur, cœlestis clementia ita abundè largiebatur, ut omnia in pleno & pingui perpetuòque quasi copie cornu possiderent. Pestilentia ut rariores, ita mitiores, bella & pauciora & sedatiora. Plena rerum ubertas & abundantia. Hoc uerò est, quod ipse filius Dei Matthæi 6. de patris sui bonitate testatur: Primò quærentibus regnum Dei, & iustitiam eius, omnia cõsperari in bonum. Hinc creuit & multiplicatus est numerus hominum.

Hinc pulcherrima illa ædificiorum mundi fabrica. Hinc infiniti isti agrorum, & uinearum termini. Cum ergo ista omnia pijs atq; unitis fide & charitate largitus esset Deus, nos quoq; ad contemplationem harum rerum in hanc postremam ætatem uocauit, ut ex tali meditatione perueniamus ad agnitionem diuinæ uoluntatis erga eos, qui unanimi, & æquo Catholicæ doctrine consensu

consensu conuictitant, qui priuatim &  
 publicè communi paci student, qui cau-  
 sam fidei & religionis toto mentis af-  
 fectu, nullo non in loco promotam cu-  
 piunt. In hac pia atque deuota contem-  
 platione animus Christianus perpetuè  
 uersari debebat. Ad hanc inuitat nos  
 D. Paulus uas electionis, legis & san-  
 ctarum scripturarum promptuarium,  
 cum inquit: Superna querite, ubi Chri-  
 stus est, ad dexteram Dei sedens. Et  
 mox: Sitis induti tanquam electi Dei,  
 sancti & dilecti, uiscera miserationum,  
 comitat. &c. Ad hoc speculum  
 nos contemplari conueniebat: si Eccle-  
 siæ Dei, si salutis publicæ & private,  
 si nobis ipsis & temporaliter & spi-  
 ritualiter consultum cuperemus, sed  
 tantum abest, ut necessariam istam co-  
 gitationem incamus ipsi, ut uim etiam  
 patriæ inferre, atque adeò ipsam, qua  
 omnes nauigamus, nauem perforare  
 non quiescamus. Diuus Augustinus

aliter de constituenda Rep. sensit. Non  
 lite existimare ( inquit ) maiores nos  
 stros armis rempublicam magnam ex  
 parua fecisse: si ita esset, pulcherrimam  
 nos haberemus. Quippe sociorum atq;  
 ciuium, præterea armorum & equo-  
 rum maior copia nobis, quam illis. Sed  
 alia sunt, quæ illos magnos fecerunt,  
 quæ nobis nulla sunt: Domi industria,  
 foris iustum imperium, animus in con-  
 sulendo liber, neque delicto, neque li-  
 bidini obnoxius. Pro his nos habemus  
 luxuriam & auaritiam: publicè ege-  
 statem, priuatim opulentiam: Lauda-  
 mus diuitias, sequimur inertiam, inter  
 bonos ac malos nullum discrimen, om-  
 nium uirtutum præmia ambitio possi-  
 det. Ita uerò nostro æuo constitutos  
 esse homines, quis tam sapiens qui non  
 desleat? Languet omnis respublica, fri-  
 get charitas publica. Quia uerò pu-  
 blici commodi tanta est negligentia  
 inter homines, sit ut & priuata am-  
 pliys

plius tueri nequeant. Agnoscimus omnes  
 dolorem, quo premimur, uulnera  
 uerò nemo curari desiderat. Aegros  
 nos esse sentimus, interim nemo  
 est, qui medicum questum eat.  
 Quid tandem de Deo statuemus? Clamat  
 ipse: Nolo mortem peccatoris.  
 Nos uerò nosmet in mortem precipites  
 agimus. Quid autem de animarum  
 nostrarum salute? Quid enim aliud  
 quam quòd ego subuereor, ut quia  
 cæci sumus omnes, omnes simul perituros?  
 Hanc sententiam probat Christus, cum  
 Iudæis suam cæcitatem exprobrat:  
 Vos non uultis uenire ad me, uitam  
 ut habeatis. His et similibus  
 commonefacit nos Deus, ut non differamus  
 conuerti ad Dominum, ne tandem  
 pœnitendi occasio nobis subtrahatur.  
 Sed ut reuerenda D. tua intelligat,  
 quod uelim hac satis prolixa cum  
 paternitate uestra consultatione,  
 postquam nature dotes,

quas mihi Deus cum reliquis homi-  
 nibus communes dedit, beneficio le-  
 ctionis excoluiffem, ut iam ad ali-  
 quod certum uitæ & professionis ge-  
 nus uitam adplicarem, totum uoto re-  
 ligioni præfinito, me Theologiæ, ut  
 summe, disciplinæ dedi. Cum ergo  
 iam in lectione Biblica uersarer, in-  
 ter reliquos omnes libros, quos sa-  
 cra pagina, maxime ueteris Testa-  
 menti, continet, nullo modo postremo  
 loco censendam Hymnologiam Dau-  
 dis esse comperi. Continet enim quic-  
 quid humano generi, de essentia Dei,  
 de iustitia, misericordia, de incar-  
 natione filij, de resurrectione scitu  
 necessarium est: item, quomodo ho-  
 mines fideles in hoc mundi taberna-  
 culo uiuere debeant, quò Deum pro-  
 pitium habere possint, & tandem in  
 montem sanctum, habitationem cœle-  
 stem ascendere ualeant. Sed quia mun-  
 dus totus in maligno positus est neque  
 huiusmodi

huiusmodi acie mentis penetrare po-  
 test, operæ pretium arbitrabar, cum in  
 publica functione uersarer, ea plebi  
 creditæ præponere, quæ animos eorum  
 ad pœnitentiam non fucatam, fidem ue-  
 ram & precationem feruidam excita-  
 rent. Cernebã ego summo animi dolore  
 ex nouata doctrina, nouũ quotidie ho-  
 minum genus exoriri, crescere iniqui-  
 tatem, refrigescere charitatem, nullam  
 fidem, neq; modestiam neq; humilita-  
 tem hominibus Christianis dignam in  
 hominum cordibus uersari, sed omnia  
 frigida, inflata, languida, dissoluta,  
 & lubrica. His ut pro uirili mede-  
 rer, delegi aliquot Psalmos ad hu-  
 iusmodi negotium non inconcinnos.  
 Neq; est in tota hominis uita, in quo  
 non usui esse possit Dauidica lectio. Si  
 sunt res aduersæ, erit solatio: si pro-  
 speræ, dulci sunt oblectamēto. Sed cum  
 nulla uera esse possit probatio, quæ nõ  
 è corde contrito & Spiritu, ut Dauid

ait



ait, contribulato proficiscitur: & certum sit Deum impœnitentes non exaudire: mihi uerò incumbibat, ut iuxta præscriptum Pauli, arguerem, obsecrarem, & instarem cum omni præcipiendi studio, ut agnito peccatorum onere, per pœnitentiam grauem sarcinam delictorum deijcerent, ad Dei misericordis tribunal per seruidam orationem confugerent, qui mihi commissi erant, & ouile uerum Christi sequebantur: nam omnia omnibus fieri debemus, Psalmum Dauidis ordine apud Latinos 31. pro publica concione explicandum sumpsi. Complexus enim est Dauid breuissimo compendio in eo ipso Psalmo, atque id suo exemplo, ut si quid inhonestè aut nefariè ab hominibus commissum fuerit, id non tegant, neq; conspectum Domini fugiant, neq; aliqua excusatione celent, sed mox ad Domini misericordiam cõfugiant. Docet præterea errantibus salutarè me-

dici

dicinam esse pœnitentiam. Optima sa-  
 nè ratio perueniendi ad Dominum. Sic  
 D. Ioānes præcursor Domini orsus est  
 prædicandi munus ad Præparationem  
 Euangelij: Pœnitentiam agite, &c.  
 Christus proponit singulis Exēplum  
 in Euangelio, Pœnitens cor deo place-  
 re, cum Phariseum & Publicanum in-  
 ducit. Similiter cū fatetur angelis in  
 cœlo esse gaudiū, super uno peccato-  
 re respiciente. Quòd si angelis gau-  
 dium conuerso uno peccatore, quid fu-  
 turum, ubi hominum agmina respue-  
 rint? Hunc itaque Psalmum in eum fi-  
 nem publicè in æde Moguntina expli-  
 cui: quem quidem nunc nulla priuata  
 temeritate euulgo, sed quia antehac  
 qualiacunque mea in hominum manus  
 emissa circumferuntur, nolui hunc la-  
 borem meum planè interire. Optarim  
 qui meliora dare possunt, non cessarēt,  
 sed optimum talentum, in fœnus multò  
 melius exponerent. Expositio simplex

Et plena est, ut quæ non egeat falera-  
tis coloribus, cum per se res satis con-  
stet, quam David hic prosequitur.

Hunc uerò laborem tuæ di-  
gnitati dicare uolui, ut qui inter au-  
gustiss. Ecclesiæ Moguntinæ Prælatos  
primas tenere cerneris, illi debito ho-  
nore, et hanc opellam consecrarẽ. Pri-  
mus enim atq; adeò solus occurrebas,  
cui præcipua Ecclesiasticæ Reipubli-  
cæ apud Moguntinos, tam in Basilica  
maiore, quam in toto secundario Cle-  
ro gubernacula sunt commissa. Non  
enim tibi satis est ædis primariæ soli-  
citam curam gessisse, nisi et in secun-  
dario clero omnia rite, appositè et  
cum omni reuerentia succedant. Qua-  
re haud immeritò ad Vicarium gene-  
ralem Reuerendis. in Christo Iesu Ar-  
chipræsulis Moguntini Principis ele-  
ctoris ampliss. D. nostri gratiosissimi  
ascitus es, ut ipso absente, alter quasi  
oculus domi speculetur, ut ab omnibus  
rectè

rectè, piè, et laudabiliter uiuatur. Cui ergo potius conueniebat, etiamsi nihil aliud fuisset, studiorũ meorũ factũ of ferre, quã tali, qui ita affectus est er ga rēpublicã, ut nullis neq; laboribus, neq; uigilijs parcat? Propterea etiam qui multis iã annis magno fauore pari ter & amore me meosq; fratres prose cutus sit. Quæ quidẽ uirtutes celebri nomine tuo in æuũ cõmendabiles erũt, & nomẽ eternũ cõciliabunt. Vt autẽ apud omnes extẽt, quẽadmodũ nullius uirtus occulta iacere debet, ego hoc paruũ munusculum apud te perpetuè quidẽ obseruatiæ Symbolũ, apud om nes uerò amplissimũ uirtutũ testimo niũ extare uolui, qualequale sit, T.P. obnixè rogans, placidè suscipiat, meq; ac mea studia cum fratribus in cliente lam paternitatis suæ ascribere digne tur. Vale optime, 4. Aug. Anno 1554.

D.T. deuotus Ioannes Ferrus Concio nator Moguntinus.

Archiepiscopus Cantuariensis  
et Episcopus Eboracensis  
et Episcopus Dunelmensis  
et Episcopus Lindisfarne  
et Episcopus Hexham  
et Episcopus Bathoniensis  
et Episcopus Gloucestriensis  
et Episcopus Herefordensis  
et Episcopus Wigornie  
et Episcopus Norwiche  
et Episcopus Exoniensis  
et Episcopus Sarum  
et Episcopus Winchester  
et Episcopus London  
et Episcopus Hereford  
et Episcopus Worcester  
et Episcopus Bathoniensis  
et Episcopus Gloucestriensis  
et Episcopus Herefordensis  
et Episcopus Wigornie  
et Episcopus Norwiche  
et Episcopus Exoniensis  
et Episcopus Sarum  
et Episcopus Winchester  
et Episcopus London

## Sermo Primus.




Vandoquidem Quadragesimalis tempus iam dudum nobis illuxit, in quo Ecclesia canere solita est: Dies absoluti prætereunt, dies obseruabiles redeunt, tempus adest sobrium, quæramus puro corde Dominum. videor mihi operæpretium facturus, si charitati vestræ, etiam in speciali aliquid proponam, huic tempori conueniens. Quandoquidem & Ecclesia, omiſſis consuētis canticis & admonitionibus, quibus per annum vitur, hoc vnum agit, quomodo scilicet filios suos ad Deum, miseros peccatores ad pœnitentiam, errantēso; oues ad gregem & caulas reducere possit. Quidni igitur & Concionatores ad eum scopum verba dirigerent? Et quamuis verbū pœnitentiæ, nostro tempore malè audiat: reuera tamen non est, quòd quemq; pudeat prædicare pœnitentiam, quandoquidem Christus ipse à prædicatione pœnitentiæ officium suum auspicatus est. Ipse inquam Christusmet errantes oues quæsiuit. Ipsemet diuino suo ore pronuntiauit, se nō propter iustos venisse,

Matt. 4

Lucæ 15

sed



sed ut vocaret peccatores ad pœnitentiam.

- Luc. 5 Deniq; , in cœlum ascensurus, Apóstolis  
 Luc. 24 nihil aliud mandauit, quàm ut prædicarent  
 pœnitentiam & remissionem peccatorum,  
 per nomen eius in omnes gentes. Nec est  
 quòd quisq; cupere velit pœnitentiam ab  
 Ecclesia sublatam esse. Nihil enim pœni-  
 tentia vtilius, nihil magis consolatorium,  
 Ionæ 3 aut etiam necessarium. Per pœnitentiam  
 enim recuperamus, quod per peccatum  
 perdidimus. Per pœnitentiam enauiga-  
 mus, aliòqui submergendi perpetuòque  
 perituri. Per pœnitentiam Niniuitæ euase-  
 runt periculum subuerfionis suæ Ciuitatis.  
 Ionæ 3  
 Psal. 50 Per eandem David recuperauit gratiam &  
 spiritum prophetiæ, quem per peccatum  
 2. Par. 33 amiserat. Per pœnitentiam Manasses libe-  
 ratus fuit è carcere, Per eandem Israëlita li-  
 Luc. 5 berati ab omnibus malis. Per pœnitentiã,  
 & peccatrix gratiam, & Petrus gradum, &  
 Lucæ 15 statum pristinum recuperauit. Per pœni-  
 tentiam prodigus ad domum patris, & in  
 gratiã eius receptus est. Per eãdem seruus  
 Matt. 18 debitor audiuit, sibi remitti decem milia ta-  
 lenta. Et quid opus multis? Pœnitentia  
 ipsum Deum placat. Loquor autẽ de ve-  
 ra & Euãgelicã pœnitentia, non quomodo  
 eam docuerunt Pharisei Iudæorũ, nec quo  
 modo eam seruant, imò simulant hypo-  
 cri

eritæ nostri: Euangelica pœnitentia non est res iocosa aut ridicula, nec est externa species tantum, aut prætextus, sed valde serioſum negotium, quod totum hominẽ requirit, totũ hominem scrutatur, concutit, alterat & immutat. Euangelica pœnitentia non peragitur triftitia vultus, extortis lachrymis, ficta confeſſione, inuoluntario ieiunio, tædioſa oratione: ſed longè alia & maiora exigit, nempe, perfectam ſui ipſius cognitionem, cor contritum, ſpiritũ humiliatum, anxios clamores humilem confeſſionem, ſeueram emendationem, & ante omnia firmam fidem, & fiduciam in miſericordiam Dei per Chriſtum. En chariſſimi, hic eſt ſcopus: ad quem Eccleſia tendit hoc tempore. Hic igitur nobis opus eſſet egregio aliquo Oratore, qui de hac re pro dignitate & neceſſitate loqui poſſet, imò nedum loqui, ſed etiã perſuadere. Quis autem ad plenũ differere poteſt de re, quam nunquã expertus eſt? Nemo ſatis de pœnitentia loqui poteſt, niſi qui & peccati gravitatẽ, & gratiæ Dei magnitudinem in ſe ipſo ſenſit. Hinc eſt, quòd pleriq; noſtrũ tam frigidè de pœnitentia loquãtur, & ſcribant. David de hac re dignè loqui poteſt, expertus ſcilicet. Imò item David tam inſigniter, tamq; Euãgelicè de pœnitentia locutus eſt,



vt si quis alius. Huius si cupis experimen-  
tum, lege saltem Psalmos ipsius pœnitentia-  
les, & videbis mirabilem feruorẽ. Hanc  
ob causam, quia omnino necessarium est,  
vt semel perfectẽ ad Deum conuertamur,  
multum autem refert, vt pœnitentia non  
hypocriticẽ, sed Christianẽ doceatur, de-  
creui vnum ex pœnitentialibus Psalmis  
vestræ charitati proponere, quod vt me-  
lius fieri possit: primò mihi viã præstruam  
ac paucis ostendam, cur potissimùm ex  
Dauidæ ac eo maximè Psalmo mihi placue-  
rit, pœnitentiæ veræ doctrinam assumere.

Primò igitur, nemo nescit septem esse  
Psalmos pœnitentiales, quos Ecclesia ex  
omnibus selegit, & sic nominauit, quasi  
aptissimos pro agenda & prædicanda pœ-  
nitentia. Horum in ordine secundus (cum  
aliàs in ordine Psalmorum sit tricesimus-  
primus) hæc verba habet:

PSALMVS XXXI.



*BEATUS*, quorum remissæ  
sunt iniquitates: & quo-  
rum tecta sunt peccata.  
Beatus Vir cui non impu-  
tauit Dominus peccatum: nec est in  
spiritu

*Spiritu eius dolus.*

*Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea:  
dum clamarem tota die.*

*Quoniam die ac nocte grauata est super  
me manus tua: conuersus sum in a-  
rumna mea, dum configitur spina.*

*Delictum meum cognitum tibi feci: & ini-  
iustitiam meam non abscondi.*

*Dixi confitebor aduersum me iniusti-  
tiam meam Domino: & tu remisisti  
impietatem peccati mei.*

*Pro hac orabit ad te omnis sanctus in  
tempore oportuno.*

*Veruntamen in diluuiio aquarum multa-  
rum, ad eum non approximabunt.*

*Tu es refugium meum à tribulatione, qua  
circumdedit me: exultatio mea, erue  
me à circumdantibus me.*

*Intellectum tibi dabo & instruam te in  
via hac, qua gradieris: firmabo super  
te oculos meos.*

*Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus  
non est intellectus.*

*In chamo & frano maxillas eorum con-  
stringe: qui non approximant ad te.*

*Multa flagella peccatoris: sperantem au-  
tem in Domino misericordia circun-  
dabit.*

*Letamini in Domino & exultate iusti:  
& gloriamini omnes recti corde.*

Hunc Psalmum enarrare decreui, Deo  
dante: non dubitans veram pœnitentiam  
nos acturos, si singula verba pensemus.

Sed dicis: Quid opus est tam lōgè quæ-  
rere? Nōne vel ex Euangelio, vel Paulo  
docere posses pœnitentiā? Reuera sic est,  
quemadmodum Paulus ait, nempe, quod  
omnis scripturā diuinitus inspirata vtilis  
est, ad docendum, arguendum, corripien-  
dum, & erudiendum in iustitia, vt perfe-  
ctus sit homo Dei ad omne opus bonum  
instructus. Verum item est, quod ex nul-  
la scriptura certius, & clarius tradi potest  
pœnitentia, quā ex Euangelio & Episto-  
lis Apostolorum. At ego cuperem, si fieri  
posset, non tantum docere sed etiam per-  
suadere. Nemo autem ad persuadendum

2. Tim. 3

magis

magis idoneus & efficax Dauide, quē enim ille suā cytharā non mouebit, nemo conuertet. Experiuntur omnes, qui scripturas legunt, quod Spiritus sanctus in Psalmis, specialem quādam energiam, & occultam operationem habet: quia mouetur & rapitur animus plusquā ex alijs scripturis. In summa Psal. nedum docent sed etiam persuadent & mouent. Docent inquā, Quicquid enim aliæ scripturæ sparsim tradunt, hoc in Psalmis simul inuenies. Nusquā clariū traduntur mysteria Christi & Ecclesiæ. Nusquā dulcius instruuntur, & alligantur ignorātes. Venite (inquit) Filij, audite me, timorē Domini docebo vos. Nusquā duriū arguuntur hypocritæ. Quare tu, inquit, enarras iustitias meas, & assumis testamentū meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam, &c. Nusquā frequentius monentur mali. Filij hominū (inquit) vsquequo graui corde, &c. Nusquā abundantius cōsolantur pauperes, vt in Psalmo xxxvj. Nusquā terribilius de iudicio Dei pronuntiatur in impios: Nisi (inquit) conuersi fueritis, gladium suum vibrauit, &c.

Nusquā deniq; magis commendatur fiducia in Deum, quā in Psalmis, & hæc omnia ita in Psalmis traduntur: vt veluti impetu quodā legentium animi rapiantur,

& moueantur. Quem enim Psalmi in vitijs inueniunt, ad virtutis propositum auelunt: quem in torpore inueniunt, ad alacritatem spiritus restituunt: quem sub tentationum pondere iacentem, aut mentis angustia cōstrictum inuenerint, ad gaudium Spiritus eleuant. Denique, quem diuinarum rerum rudem & vacuum inuenerint, suauissimis meditationibus, & affectionibus adimplent. Habes rationem, cur mihi libuerit è Dauidè pœnitentiæ doctrinam proponere. Quod autè hunc potissimum Psalmum assumpserim, primò, mouit me Titulus, qui sic inscribitur huic Psalmo: Eruditio vel intellectus Dauid, id est, quam Spiritus sanctus dedit ipsi Dauid, & per ipsum omnibus nobis. Et ni fallor, hæc est eruditio illa, quam Dauid post recuperatam gratiam promittebat: Docebo (inquit) iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Certum est autem in negotio pœnitentiæ, nos egere eruditione Spiritus sancti. Ideò igitur Psalmus hic potissimum mihi placuit: Vt interim taceã, quòd singula eius verba ad pœnitentiam veram faciant. In hoc enim Psalmo audietis, quanta sit grauitas peccatorum, quanta felicitas bonæ conscientie, qua via è peccatis ad hanc felicitatem perueniatur, quid pœnitentib

tentibus Deus promittat, quid impœnitentibus comminetur. Deinde audietis, quomodo ad Deum clamare, vos ipsos accusare, Deumque precibus flectere debeatis.

Videbitis etiam in hoc Psalmo verum pœnitentem, quid in corde sentiat, in ore proferat, quid in opere promittat: & ut semel omnium dicam, videbitis hic habitum animi ægrotantis, attoniti, destituti, dolentis, & angustiati. Hæc autem omnia ad pœnitentiam pertinent. Qui enim verè cupit pœnitere, oportet, ut in corde terreatur, & angustietur: agnoscat se ægrotum, destitutum, doleat & tristetur ex corde. En ideò hunc potissimum Psalmum assumpsi.

Et hæc præmonere volui, ut & frequentius conueniatis, diligentiusque audiatis. Magna res est, charissimi, quam agimus.

Non igitur pigri simus: paruo tempore & exiguo labore magna bona acquirere possumus. Attendamus verbum, quod Christus Iudæis dixit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Lucæ 13  
Præueniamus igitur Fratres iudicium Dei, ne subito præoccupati vel ipso iudicio Dei vel morte quæramus spatium pœnitentiæ, & inuenire non possimus. Hæc pro exordio.

## Sermo Secundus.



Vperiore sermone Psalmum xxxj. hoc tempore Quadagesimali enarrandum assumpsi, tum & ut tempori huic satisfaciam, tum ut citius ad veram pœnitentiam permoueamur. Idem enim Psalmus vel ex Titulo promittit eruditionem & intellectum. Deinde efficacissima verba habet ab exordio vsque ad finem. Postremò, non à Pharisæo aliquo, sed à verò pœnitente, factus est, nempe à Davide. Hunc enim virum obiurgatio ipsius Nathan, imò comminatio Dei ita terruerat in suis peccatis, vt non contentus coram Propheta peccatum suum confiteri, sed insuper multos Psalmos fecit, in quibus pœnitentiam suam, flendo, orando, confitendo ostendit. Inter eos Psalmos, etiam hic noster computatur. Eò libentius igitur eum assumpsi. Nec video quidquam vtilius prædicari posse. Quòd si hunc Psalmum possemus ad plenum ediscere, ipsa Christi resurrectio nobis acclamatura esset vltimum huius Psalmi versiculum: *Lætamini in Domino, &c. Sed ad rem.*

2. reg. 12

Beati

*Beati quorum remissa sunt iniquitates. ]*

Sensum horum verborum est, quòd nemo beatus dici possit. imò, quòd nulli bene esse possit, nisi ei Deus remittat, tegat & non imputet peccata. Atque hic primò vides, quòd prima statim fròte Dauid, imò Spiritus sanctus nos sub peccato còcludat, omnesque nos peccatores esse conuincat.

Aliò qui dixisset: Beati, qui nunquam peccauerunt, sed semper in innocentia permanserunt. Verùm sic dicere non potuit, quia nullum talem inuenit. Eos igitur tantùm beatos pronuntiat, quorum peccata remittuntur, teguntur, & non imputantur.

Atq; hæc est prima eruditio Spiritus sancti in hoc Psalmo, nempe vt agnoscamus nos esse peccatores. Hic enim nulla valet excusatio, quantumcunque iustitiã prætendas, quantumcunque in deserta te condas, quantumcunque pietatem simules. Si homo es, velis nolis peccatorem te esse fateri cogeris. Hoc voluit Dauid, imò Spiritus sanctus. Hoc vult tota scriptura.

Huc pertinet illud Pauli: Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei. Et illud Ioãnis: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, &c. Itémq; illud

Isaia:

Roma. 3

I. Ioan. 3



- Isa. 64 **I**saïæ: Facti sumus immundi omnes, &c.  
 Hic incipienda est pœnitentia. Qui enim  
 seipsum nō agnoscit peccatorem, huic nec  
 Christus, nec Euangelium proderit. Nam
- Matt. 9 **C**hristus non propter iustos, sed propter  
 peccatores venit, id est, non propter illos,  
 qui sibi iusti videntur, sed qui peccatores
- Matt. 11 **S**e agnoscunt. Et Euangelium solis paupe-  
 ribus prædicatur, id est, qui pauperes se a-  
 gnoscunt. Hanc primam eruditionē qui  
 accipit, nihil de sua iustitia præsumet, nul-  
 lum alium iudicabit, sed potius hoc ager,  
 quomodo à suis peccatis liberari possit.
- Deinde videmus Dauidem Psalmū hunc,  
 quasi suspirando exordiri. Est enim quasi  
 optantis & suspirantis ad gratiam remissio-  
 nis, cum dicit: Beati, &c. Hoc igitur nobis  
 pro eruditione sit, nempe ad cōsequendam  
 remissionem, necessarium esse desiderium.
- Nam Deus esurientes implet bonis, di-  
 uites autem dimittit inanes. Sed de hoc in-  
 ferius. Præterea, videmus Dauidem cum  
 hæc diceret, longè alium spiritum habuisse,  
 quàm mundus habet. Is enim eos bea-  
 tos iudicat, quibus tēporalia bona adsunt,  
 & desunt mala corporis & fortunæ. Bea-  
 tum dixerūt populum, cui hæc sunt. Dauid  
 autem solos illos beatos pronuntiat, qui-  
 bus peccata remissa sunt. Vnde primò col-  
 ligitur,

ligitur, quòd peccatum tam perniciosam rem esse indicauit, quod cum ipso nulli beneficere possit, id quod verissimum est.

Beatus enim est, cui nihil boni deest, nihilque mali adest. Atqui peccator optimo bono caret, id est, iustitia vel Deo, & maximum malum sentit, nempe malam conscientiam. Quomodo igitur beatus esse possit, vel dici? Discamus & nos peccatum pro maximo malo iudicare, Longè enim nocentius est, quàm quæcunque externa mala. Colligitur secundò ex hac pronuntiatione Dauidis, quòd bonam conscientiam maximum bonum iudicauit. Et verè sic est. Qui enim à peccato iustificatus est, pacem habet cum Deo: & gloriari Rom. 5 potest in spe gloriæ filiorum Dei, quæ verè maxima est, Quis enim nescit, quanta filij Dei expectent & sperent? In summa, qui bonam habet conscientiam, securè dicere potest: In pace in idipsam dormiam, Psal. 4 & requiescam, &c. Habet enim huiusmodi homo Deum, qui ipsum in omnibus securum facit. Tertio, colligitur hinc, quòd Dauid omnes eos miseros pronuntiauerit, qui in peccatis iacent. Et verè sic est, nam super peccatores ter exclamatum est horrendū illud Væ: Væ væ væ, inquit, habitantibus in terra. Væ scilicet in vita, Apoc. 28  
væ in

Psal. 10

væ in morte, væ post mortē. Vnde & Dauid dicit, Pluet super peccatores laqueos, ignis, sulphur, Spiritus procellarum, pars calicis eorum. His autem verbis quatuor ingentia, quibus peccantes constringuntur, indicantur. Horum primum est, quod laqueis Diaboli ligantur, vt bene operari non possint. Secundum, quod ignis & ardor peccati omnia priora bona in ipsis exurit. Tertium est, sulphur & fœtor malæ famæ. Quartum autem, Spiritus procellarum, id est, mala conscientia. Vides igitur, quàm multa Dauid hoc primo verbo nobis insinuet. Omnia autem in eum finem, vt hæc considerantes citius conuertamur. Quis enim tam insanus, qui in igne positus non fugiat, si fugere potest? Quis tam piger, & infirmus, qui si medicum habere potest, non ipsum quarat? Quis tam negligens, qui si possit modico labore acquirere felicitatem, non laboret? Atqui omnia hæc habet peccator. Nam & in igne positus est: & tamen fugere potest, & medicum habere: & paruo labore perfectam beatitudinem acquirere potest. Merito igitur admonetur, ne hæc contemnat. Beati enim, quorum remissa sunt iniquitates, &c.

Cæterum est & aliud in hoc primo versu obser-

su obseruandum, & quidem potissimum,  
 nempe, quòd Dauid remissionem pecca-  
 torum, non meritis & operibus nostris,  
 sed nec vlli legi aut sacrificio, quod per  
 nos fieri potest, ascribit. Imò nullius ho-  
 rum meminit, sed omnia ascribit gratiæ  
 Dei. Beati, inquit, non qui meruerunt re-  
 missionem, sed quibus Dominus remisit  
 grãtis, scilicet ex sola misericordia & gra-  
 tia. Nulla enim opera nostra tam magna  
 & bona sunt, vt eis ascribere possimus re-  
 missionem peccatorum. Nam & Abraam  
 optima opera habuit: nulli tamen eorum  
 ascribitur remissio peccatorum, quæ est  
 iusticia nostra, sed credidit Abraam Deo,  
 & reputatum est ei ad iusticiam. Et Dauid  
 bona opera habuit: in nullo tamen eorum  
 confidere potuit. Miserere (inquit) mei  
 Deus, non secundum merita mea, sed se-  
 cundum misericordiam tuam. Nec iniu-  
 riã soli gratiæ ascribitur remissio peccato-  
 rum, non autem operibus. Nemo enim  
 centum denarijs soluere potest summam  
 decem milium talentorum. Atqui pecca-  
 ta nostra summa decem milia talentorum  
 est, si ad dignitatem eius, contra quem  
 peccauimus, conferantur. Econtrã autem,  
 omnia opera nostra, vix centum denarij  
 sunt. Imò non nisi duo minuta. Oportet  
 igitur,

Gen. 15

Psal. 50

Matt. 18

Luca: 12 igitur, vt ex gratia remittatur tantum debitum. Hoc autem emeruit Christus.

Rom. 4 In hunc sensum, Paulus hunc Psalmi versiculum adduxit, in Epistola ad Romanos: Si, inquit, ex operibus, ergo non ex gratia. Ei verò, qui non operatur, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputatur ad iustitiam, sicut & Dauid beatum dicit hominem, cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus, &c.

Huc pertinet quod Augustinus ait super hunc Psalmum, Nihil boni (inquit) fecisti, & datur tibi remissio peccatorum.

Auguft. Si attenduntur opera tua, inueniuntur omnia mala. Malis autem operibus quid debetur nisi damnatio? Stipendium enim peccati mors: Tu autem in malis operibus inuentus es. Non tamen Deus tibi dedit debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam. Debebat vindictam, dat indulgentiam. Hæc igitur eruditio potissimè obseruanda est, vt remissionem peccatorum non operibus nostris, quæcunque tandem illa sunt, sed gratiæ ascribamus.

Patet ex his, quòd iustificatio nostra est remissio, & non imputatio peccatorum, Iustus enim est, nō qui multa facit, sed cui Iesus remittit. Nam Pharisei Iudeorum multa faciebant, non tamen iustificabantur: quia  
Deus.

Deus non illis remiserať propterea quod ipsi non agnoscebant peccatum.

Sed dicis, si ex gratia remittuntur peccata, nihil igitur opus est contritione, confessione, oratione, satisfactione. Imò, si gratia tantum operatur, securus igitur in peccatis manebo confidens de gratia, &c.

Hic vide, ne offendas, sed regiam viam teneas, neq; ad dextram, nec ad sinistram declines. In quamcũq; enim partem declinaueris, erras. Si in operibus tuis præsumis, nec gratia tibi opus esse arbitraris, erras. Si econtra de misericordia Dei præsumens nihil agere pro salute tua vis, sed securus in peccatis manere, erras & cadis.

Securam viam tenebat Dauid, qui ita in misericordiam Dei confidebat: vt tamen pœnitentialium operum nihil remitteret, ita eisdem operibus exercebatur, vt tamen omnem fiduciam in Dei misericordia poneret. Sic agamus nos, &c.

## Sermo Tertius.



Vdistis superiori Sermone, cur Dauid tam fiducialiter beatos pronuntiet, quibus remissa, tecta, & non imputata sunt peccata. Nunc videamus,

C mus,

mus, quid vltcrius nobis obseruandum sit in hoc Psalmo. Et primò, non temerè, nec sine causa factum est, quòd Dauid toties peccatorum mentio, nec semper eodem nomine ea nominat. Primò enim dicit, iniquitates. Secundò, peccata in plurali.

Tertiò, peccatum in singulari. Quartò, delictum. Quintò, iniustitiam. Sextò, impietatem. Omnia autem hæc ideò fecit, vt nobis ob oculos poneret peccatorum nostrorum multitudinem, magnitudinem, grauitatem & diuersitatem, vt sciamus non vnum esse peccatum nostrum, sed multa, nec vnius generis, sed multiplicia. Ideòq; tot verbis vtitur, quasi non satis ostendere potens quid de peccatis hominum sentiat: nescit enim, quibus ea nominibus exprimat, vt dignum esset. Hoc igitur nobis pro eruditione sit, nempe, vt sciamus multa & multiplicia esse peccata nostra. Non enim est Christiani hominis, vt dicat quèadmodum Suetonius Titum Imperatorem dixisse scribit, nempe, vitam sibi eripi immerenti. Neque enim extare vllum factum, cuius se pœniteret, excepto duntaxat vno. Sunt quidem & inter nos, qui vnum aut alterum tantum pensant peccatum, reliqua negligunt. Non hoc docet Dauid. Hic enim sibi ipsi & peccata,  
&

& iniquitates, & delicta, & iniustitiam, & impietatem tribuit, & in alio loco dicit, Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum. Et iterum: Propter nomen tuum Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. Hunc igitur imitemur, si rectè pœnitere volumus: reuera enim multa peccata habemus. Videlicet Originale, Actuale, & peccata omissionis. Item, peccata cordis, oris & operis: Item, peccata contra Deum, contra proximum, & contra nos ipsos. Item, peccata in patrem, in filium, in spiritum sanctum. Omnia hæc ad pœnitentiam pertinent, Omnia hæc remissione indigent. Nec vnum dimittitur sine alio. Sed nunquid David tantum nouit peccata aggrauare? Nequaquam. Hoc enim esset ad desperationem adducere. Sed si attendimus, non minus magnificè commendat misericordiam Dei. Nam & hîc non vnum, sed tria verba ponit, remittere scilicet, te gere, & non imputare, eadem scilicet ratione, quod vno verbo non satis potest exprimere magnitudinem misericordiæ Dei. Nihil enim hac multiplicatione verborum aliud vult, quàm ostendere, quòd apud Dominum sit misericordia & copiosa redemptio.

Psal. 37

Psal. 24

Psal. 129



Sic enim etiam nobis necessarium est. Tria maxima damna ex peccato habemus.

Primò, quòd odium & indignationem Dei incurrimus. Secundò, quòd Diabolo subijcitur. Tertiò, quòd ad pœnam obligamur. Contra hæc tria, David triplicem nobis gratiam Dei prædicat. Primò, quòd remittit offensam, & iram suam. Secundò, quòd tegit peccata, ne Diabolus ea videre & accusare possit. Tertiò, quòd non imputat ad pœnam. An non magna sunt hæc? Sufficere nobis poterat, quòd Deus dicitur remittere peccata. Ne quis tamen suspicetur eum remittere quidem, sed non obliuisci, quemadmodum solent homines, addit David, quòd etiam tegit peccata: non tantum, ut ea homines non videant, aut diabolus, sed quòd nec ipse Deus ea videre velit.

Quòd si quis etiam adhuc dubitat, peccata sua tegi quidem nunc, sed forsan in futuro reuelanda, quemadmodum multa nunc

**Matt. 10** tecta sunt, quæ manifestabuntur: ecce alia consolatio, quòd Deus peccata nedum remittere & tegere, sed etiam nunquam imputare velit. Quid amplius petis? Hic vides manifestè, verum esse, quod David in

**Pfal. 93** alio Psalmo dicit, secundum multitudinem dolorum nostrorum, etiam nobis à Deo cōsolationes dari. Obserua autem, quòd hæc

hæc secunda verba, remittere, tegere, non imputare, ad Deum referri debent, non ad nos ipsos, aut alios homines. Primò enim, non satis est, si tibi ipsi peccata remittas: Nec satis est, si tibi homines remittant.

Non loquor hîc de absolutione Sacramentali, in qua non homo, sed Deus remittit; sed loquor de remissione offensarum.

Offendisti proximum, non satis est, nec ideò beatus es si ipse tibi remittat, nisi etiam Deus remittat. Sic de alijs. Eodem modo non satis est, peccata tua per te, vel per alios tegi, nec ideò beatus es, sed cùm Deus tegit. Multipliciter enim teguntur peccata. Quorundam peccata tecta sunt coram hominibus, quorum oculos exterior sanctitas fascinavit, Deum verò, qui scrutatur corda, non latet eorum interior turpitudine. Et hi quidem apud homines beati dicuntur, sed coram Deo maledicti sunt.

Sunt alij, quibus sua peccata tecta sunt propter ignorantiam, vel cordis cæcitatem.

Nec hi beati sunt, sed potiùs miseri. Alij sunt, qui non ignorant quidem peccatum: tamen ob complacentiam vel dissimulant, vel excusant. Nec hi beati sunt, sed quibus Dominus tegit. Tunc enim verè tecta sunt. Non enim tegit Deus peccata, quasi cùm quis vlcus tegit panno. Tunc siqui-

- dem etsi non videatur vlcus : tamen verè  
 adhuc adest , & viuit , & sentitur. Deus  
 Isai. 38 autem ita tegit , vt nihil remaneat. Huc  
 pertinet quod Ezechias dixit : Proiecisti  
 post tergum tuum omnia peccata mea. Et  
 Ezec. 18 illud : Si conuersus fuerit peccator , omnium  
 iniquitatum eius non recordabor amplius.  
 Miche. 7 Et illud : Proijciet in profundum maris  
 omnia peccata nostra. Eodem modo so-  
 lus ille beatus dicitur , non qui sibi non im-  
 putat peccatum , vel cui mundus parcit , sed  
 cui Deus non imputat. Verè magna feli-  
 citas hominis est , qui hoc consecutus est.

Hactenus igitur David velut proloquio  
 vsus est , quo conatus est omnes nos atten-  
 tos & beneuolos reddere. Quis enim non  
 excitetur , vbi beatitudinis mentio fit ? Quis  
 non bene suadenti obtemperet , cui tanta  
 pericula imminent si in peccatis perman-  
 serit : tanta autem bona promittuntur , si  
 pœnitentiæ remedia arripuerit ? Sequamur  
 Fratres , Nostra enim res agitur , & ma-  
 gna quidem. Sed quònam modo , in-  
 quis & peccatorũ pericula eua-  
 dere , & eorundem remis-  
 sionem acquirere pos-  
 sum ? Audi se-  
 quentia.

★

Nee

*Nec est in spiritu eius  
dolu.]*

Sensus verbi est, Beatos esse eos, quorum remissæ sunt iniquitates, hoc enim certò spiritus pronuntiat. Cæteriùm, peccata non remittuntur, quoadiu dolus adhuc latet in spiritu: quare eum etiam beatum pronuntio, qui in spiritu suo non habet dolum, in quo nihil est simulatum, fucatum, sed omnia sincera, seria, viua, qualis erat Nathanaël, de quo Christus dicebat: Ecce verè Israëlita, in quo dolus non est. Cæteriùm, dolus in spiritu est. Primò, cum quis tantum simulat pœnitentiam, nihil seriò agit, aut loquitur, sed omnia fictè vel coactè. Secundò, cum quis dissimulata suorum peccatorum multitudine, sibi ipsi de sua sapientia, iustitia, operibus, & meritis placet. Tertiò, cum quis maiora peccata tantum attèdit de minoribus, quæ venialia dicuntur, nihil curans. Maximè autem dolum in spiritu habet & alit, qui tantum respicit in crassa illa, in verbis & operibus, à quibus si immunis sit, reputat se omnino purum, cum interim non attendat, quod seipsum amat, sua querit, non amat Deum, nò querit quæ Dei sunt, non timet Deum, non credit, &c. omnia sibi salva esse putans, si hæc

Iohel x

vel illa faciat. Hic inquam, seipsum decipit externa specie sanctitatis. Nā ignorat, quòd homo totus nihil, nisi peccatum est, & quòd nemo iustus est, nisi ignoscēte & non imputante Deo. Huiusmodi dolum in Spiritu habebat Pharisæus ille, qui dissimulatis peccatis suis tantum de suis operibus gloriabatur. Deus, inquit gratias ago, quòd non sum sicut cæteri hominum, &c.

Luce 18

En hic nihil in se mali videbat, sed tantum bona opera. Habebat quidem & peccata, sed ea non videbat. Tales erant omnes Pharisæi.

Matt. 23

Vnde & Christus eos sepulchris dealbatis comparauit. Tales erant

Ioan. 9

qui dicebant: Nunquid & nos cæci sumus? Item, qui dicebant, Semen Abrahamæ & filij

Ioan. 8

Dei sumus. Item qui dicebat: Diues sum; & nullius egeo, cum interim verè esset miser & miserabilis, quod tamen non videbat

Apoc. 3

vel videre volebat. Tales sunt iam fermè omnes Christiani, adèd vt quàm paucissimi sint, qui hunc dolum in Spiritu non habeant: ex quo fit, vt & pauci veniam consequantur. Beatus igitur dicitur, in cuius Spiritu non est dolum, hoc est, qui seipsum perfectè agnoscit, is in se non solum inuenit crassa illa peccata, quæ etiam mundus iudicat, & quæ sola Hypocritas terrent (si tamen verè ipsos terrent) sed inuenit se  
etiam

etiam totum in corpore & anima non dico peccatorem, sed ipsum esse peccatum, imò inscrutabile peruersi cordis ingreditur profundum, & clamare cogitur: Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me. Et, delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Hic primùm perfectè suspiratur ad Deum, dum perfectè (quantum licet) cognoscitur peccatum. Hic primùm diuina misericordia dimittit peccatum, quia tu non remittis tibi, non ignoscis tibi, sed ex corde cognoscis te nihil esse, nisi impietatem, Tegit peccata, quia tu non tegis. Non imputat peccatum, quia tu tibi imputas. Hinc igitur est, quòd Dauid eum beatum esse pronuntiat, in cuius spiritu non est dolus. Itaque, si verè pœnitere cupis, si remissionem peccatorum desideras, detege dolum, scrutare cor, agnosce te nihil esse nisi peccatum, nihil ex te posse, nisi peccare, & quod ex natura malus es, nulli rei, quàm ad ignem utilis. Hic primus gradus est ad consequendam remissionem peccatorum. Quòd enim magis te humiliaueris, eò citius misericordiã consequeris. Hæc igitur breuiter è duobus primis versibus dicta sufficiant.

## Sermo Quartus.



Vdistis suprà, quàm magnam gratiam David esse pronuntiet, imò certam beatitudinè, ubi Deus remittit, tegit, & non imputat peccata. Et reuera est: nihil enim maius & melius in hac vita à Deo accipere possumus, quàm si remissis peccatis nostris & tectis, iustos nos reputet. Hoc est optimum illud donum & datum perfectum, quod venit defursum à Patre luminum, &c. Hoc qui habet, omnia habet. Hoc qui non habet, nihil habet, etiamsi multa videtur habere. Quid enim prodest homini, si vniuersum mundum lucratur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Cæterùm donum hoc non pro meritis datur, sed ex gratia. Nec quibuslibet datur, sed solis electis. In hoc enim Deus agit, quemadmodum de Abraham legitur, quòd scilicet filijs concubinarum dedit muñera, filio autem suo Isaac, hæreditatem.

Sic Deus impijs externa quidem dat, sed non remissionem peccatorum. Pij autem hoc primò omnium dat. Pro consequenda igitur remissione peccatorum maximè laboremus. Verè enim beati, quibus

quibus remissæ sunt iniquitates. Verùm  
de his satis. Audiamus sequentia.

*Quoniam tacui, inueterauerunt  
ossa mea.]*

In hoc versu Dauid causam assignat, cur  
eos homines beatos dixerit, quorum re-  
missa sunt peccata, & qui dolum non ha-  
bent in spiritu. Ac primò mutat perso-  
nam. Nam cùm hæctenus in tertia persona  
locutus sit, Nunc in prima persona loqui-  
tur, ac seipsum in exemplum proponit, ut  
omnes sciamus, quòd hanc eruditionem  
non nudis verbis didicit, sed ipsa experien-  
tia. Vbi enim nudis verbis res agitur,  
quantumuis magna pompa proponatur,  
nihil tamen aliud est, quàm si cæcus de  
coloribus disputet, quos nunquam vidit.  
Qui autem expertus est, is tandem re-  
ctè de ipsa re loqui potest. Ob hanc igitur  
causam, gratior nobis esse debet Psal-  
mus hic, quòd scimus & audimus non nu-  
da verba esse, sed experientiam, non fu-  
mum, sed ignem, non literam, sed spiritum.

Cæterùm, verba ipsa huius textus ob-  
scura sunt, imò videntur sibi ipsis contraria.

Dicit enim se simul tacuisse & clamasse.  
Itémque ex clamore etiam ossa sua inue-  
terasse,



terasse, quæ omnia nedum absurda, sed etiam impossibilia videntur esse. Attendenda igitur nobis est Historia, cui hic Psalmus innitur, ea nos docebit, quomodo David simul clamauerit & tacuerit.

2.Re.11

Commiserat David adulterium cum vxore Vriæ Ethei: quòd quamuis magnum peccatum erat, tamē dissimulabat illud putans latere. Postquam autē vidit mulierem concepisse absente viro, timebat, ne adulterium propalaretur. Ideò omnibus modis curabat hoc tegere. Et primò quidem Vriam ad se vocans, atque propriam vxorem ei redire permittens, putabat hoc modo se adulterium suum tegere posse. cum autem Vrias Deo sic ordinante, potius in platea dormire, quàm ad domum suam accedere vellet, frustratus David spe sua, aliud excogitauit, nimirum vt Vrias fraude periret. Quod cum factum esset, statim vxorem eius sibi assumpsit. Iamq; admodum securus erat de peccato, vt nihil amplius sollicitus esset, putabat enim, neminem posse quicquam mali suspicari, nec de adulterio eius, nec de iniusta occisione Vriæ. Sic igitur tacebat & dissimulabat peccatū. Interim tamen urgente conscientia, quiescere non poterat à suspirijs & clamoribus, sicque seipsum consumebat tristitia:

stitia : adhuc tamen tacebat à confessione peccati , vsq; ad natiuitatem Pueri. Imò diutius taciturus fuerat , nisi Popheta Nathan cōfessionem ab eo elicuisset. Is enim proposita parabola de diuite , qui pauperi ouiculam quam habebat vnicam , per vim abstulerat , & Dauid nihil de se suspicans sententiam protulisset , tunc dixit Nathan : Tu es ille vir , &c. Dauid igitur videns peccatum suum latere non posse , imò Deum pœnam comminari , & quod seipsum pœna mortis dignum pronuntiaffet , amplius tacere non potuit , sed aperuit os ad confessionem , primò coram ipso Nathan , dicens : Peccaui Domino. Deinde in multis Psalmis , quos eo tempore fecit.

Hic igitur vides , quomodo Dauid simul tacuit & clamauit. Tacuit , quia peccatum non confitebatur : clamauit , quia peccati grauitatem ferre non potuit. In hac angustia posito iuuerauerunt ossa eius , &c. Hoc est quod dicit : Volebam (inquit) tacere , & abscondere peccata mea : quia enim hominibus occulta erant , putabam etiam Deum ea non videre . Interim consenuerunt ossa mea , omnes vires meæ defecerunt , robur omne abscessit , omnisque vigor spiritus consumptus est , quemadmodum homo ad ossa vsque consumâ

sumitur, tamen si iugiter apud me generē  
 & clamarem. Donec enim tacemus, do-  
 nec dissimulamus, donec excusare volu-  
 mus, donec apertē nolumus confiteri, quæ  
 latent in corde nostro, non sunt exaudi-  
 biles orationes nostræ, quantumvis cla-  
 memus voce, & exteriori gestu Deum  
 postulauerimus. Ex hoc igitur Textu vi-  
 demus, quàm difficulter humanum cor  
 emolliatur ad pœnitentiam, & ad confes-  
 sionem peccati, Imò potius omnia pati-  
 tur, quàm peccatum confiteatur, nec un-  
 quàm persuadetur, nisi vel morbo aliquo  
 graui, vel interna angustia adigatur, &  
 tamen etiam ea tam diu suffert, donec do-  
 lore victus, amplius tacere non potest:  
 quemadmodum qui in tortura peccatum  
 suum tantisper celat, donec dolore victus,  
 amplius tacere non potest. Hæc est duri-  
 tia, imò superbia cordis humani, cuius  
 exemplum videmus in Adam & Cayn:  
 quorum prior ad eò præsentia & voce Dei  
 terrebatur, vt se absconderet sub lignis  
 paradisi. Alter tanto terrore correptus fuit  
 in iudicio DOMINI, vt planè despera-  
 ret. Neuter tamen adigi potuit, vt confi-  
 teretur, cum Deus nihil aliud quæreret. Si  
 enim confessi fuissent, veniam meruis-  
 sent. O quot etiam nunc sic pereunt, &  
 perie

perierunt ! Quanta autem dementia est, malle perire, quàm confiteri : malle in corpore & anima miserum esse, quàm Deo gloriam dare, se, ipsùmque iniustitiæ accusare ? Et quidem in iudicio humano non mirum, quòd malefactores difficulter, & non nisi coacti confitentur : sciunt enim idè confessionem quæri, vt confessi puniantur. Hic alia res est. Non ob aliud **DEVS** exigit confessionem, nisi quòd vult remittere, tegere, obliuisci, non imputare. Deinde vides ex hoc versu, quam ob causam tanta nobis mala internè & externè immittantur. Quoniam (inquit) *Eccles. 3.* cui. Laudatur quidem aliquando taciturnitas, sed non semper. Mala enim taciturnitas est, vbi tacetur à laude Dei. Vnde *Isaias* : Væ mihi quia tacui. Item cum *Isai. 6* tacetur ab oratione, iuxta illud : Non *Isai. 64* est qui inuocet nomen tuum. Item, cum tacetur à correctione. Maximè autem, cum tacetur à confessione peccati.

Hinc enim omnia mala nobis proueniunt, quòd non confitemur, non agnoscimus peccata. Deus autem confessionem habere vult, siue hoc fiat hïc, siue in futuro, siue sponte, siue iniurè. Multa enim media habet, quibus confessionem peccati nobis exprimit.

Pec

- Peccauerant filij Iacob in fratrem suum:  
nec tamen ad multos annos peccatum  
confitebuntur, donec in Aegypto mi-  
Gen. 42. seria correpti, dicerent, Meritò hæc pa-  
timur, quia peccauimus in fratrem no-  
Dan. 4. strum, &c. Sic Deus confessionem ipsi  
Nabuchodonosor expressit per deiectio-  
2. Mac. 9 nem eius à regno: Antiocho per grauem  
& horribilem morbum, Manasi per in-  
carcerationem, Dauidi per comminatio-  
nem Prophetæ: Iudæ autem per angustiam  
Matt. 27 animi. Itaque cum mala sentis in corpore  
vel animo, cogita, quòd Deus per hoc à te  
exprimere vult confessionem peccatorum  
& pœnitentiam. Vide igitur ne taceas.

Præterea, videmus in hoc versu, quan-  
tum malum sit mala conscientia, quæ pec-  
catum in se habet & fouet. Inueteraue-  
runt, inquit, ossa mea. Hoc aliqui so-  
lent spiritualiter exponere. Videlicet, quòd  
qui peccata sua celant, nec per confes-  
sionem ea deponunt, incipiunt à priore ar-  
dore spiritus deficere, & flaccessere in so-  
litis obsequijs Dei, efficiunturque velut  
languidi spiritu. Et quidem vera hæc  
sunt & pia. Verùm Dauid aliud videtur vo-  
luisse. Nempe, quòd conscientia mala ne-  
dum animam cruciat, sed etiam corpus &  
ossa debilitat. Id quod pulchrè in alio  
Psal

Pfalmo expressit: Laboraui, inquit, in genu meo, &c. Hic vides, quòd mala conscientia angustiat & cruciat animam. Laborare enim, hoc loco significat, anxium & in magna difficultate esse, quemadmodum & de Christo dicitur, pro eo, quòd laborauit anima eius, id est, valde anxia fuit, adeò vt diceret, Tristis est anima mea vsque ad mortem. Quantum autem laborauerit & angustiatam fuerit anima Dauidis, ex eo patet, quod subdit: Lauabo per singulas noctes lectum meum, &c. Sensus enim est, O vtinam tantum mihi lachrymarum esset: quòd per singulas noctes lectum meum lauarem, tantum, vt ab hac anxietate liberarer! Eodem modo & Ezechias confitetur, se totam vitam suam malle in amaritudine agere, quàm has portas inferni sustinere. Recogitabo, inquit, tibi: vel potius secundum Hebræos, promouebo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Totam enim vitam optat amarissimam, modò liceat hanc angustiam euadere. Vide, quantum mala conscientia cruciet animam, verum non id solum, sed etiam corpus & ossa exiccat.

Sicut enim vbi cor est exultandum & gaudio perfusum, videmus ossa velut robore rari, ac ad salendum, grauissimùmq; cor-

D  
pus

Psal. 6

Isai. 53

Matt. 26

Psal. 6

Isa. 38

- pus portandum prompta fieri, ita vt gaudium sentiatur diffundi per omnia ossa, velut irrigatio quaedam, iuxta illud Sapientis: Et erit irrigatio ossium tuorum: Sic e contra ex turbatione spiritus, turbantur etiam ossa & tremunt, nulliusque virtutis sunt, nec corpus ferre possunt. Spiritus enim tristis exiccat ossa. Vnde & Ezechias: Sicut Leo inquit, contriuit omnia ossa mea. Huc pertinet quod Dauid dicit: Turbatus est à furore oculus meus: Inueteraui inter omnes inimicos meos. Oculum pro aspectu & specie accipit: vt sit sensus, sic me turbat mala conscientia, quod toto habitu repente immutor deformisque redor. Malæ enim conscientia: ea vis est, vt immutet totum hominis aspectum: consumit enim ossa & sanguinem. Nec mirum, quælibet enim tristitia tandem deformat habitum hominis & vultum verum, quod alia efficiunt paulatim. Et hoc angustia mentis subito facit, acceleratque in breui senium nimio tristitia: impetu. Legimus multos magna tristitia repente canos esse factos, quanto magis hac agonia veterascent homines? Nam ea tanta est, quod paucifactus ac conterritus à furore Dei, simul nullius creature habet solatium, sed quicquid aspicit, aduersatur sibi. Creatura

tura enim, cum suo creatore agit. Vnde subdit David ibidem, Inueteraui inter omnes inimicos meos. Undique mihi angustiae, omnia me tribulant. omnis Creatura mihi aduersatur, non est quò fugiam. Ideò sic anxius inueterasco ante diem. Hoc sibi vult etiam hoc loco, cum dicit, Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea. Vide tis igitur charissimi, quanta miseria, quantum malum sit peccatum fouere & occultare in cõscientia, & quàm miserè nos ipsos perdamus. O' si vel ad momentum sensissemus hanc miseriam, quàm gratum nobis futurum esset Euangelium gratiæ Dei! quàm libenter omnia ageremus, & patere-remur! Sed de his postmodum latius.

## Sermo Quintus.



Vdistis suprà ex Psal 31. quantum malum peccatū in cõscientia post se relinquat, nempe, perpetuā angustiam, qua non solum anima cruciatur, sed etiam corpus eneruatur, ossa inueterascunt, omnesq; vires deficiunt. Nihil quidē horum credit insanus mundus: quia harum rerum inexpertus est, Vnde & perpetuò manet in peccatis. At David hoc malum expertus est. Vnde & beatos pro-



nuntiauit, quorum peccata remissa sunt, & qui sine omni dolo suam miseriam fatentur. Quoniam tacui (inquit) inueterauerunt ossa mea &c. Quid sibi velit versus hic, audistis. Sed dicet aliquis, Quomodo factum est, vt Dauid hoc malū conscientiae sentiret & non ego? Audi causam.

*Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua, &c. ]*

Ergo si te Dominus tetigisset, sicut Dauidem, & tu sensisses malum hoc. Nemo enim hoc malum rectè sentit: nisi manu Domini prematur. Manus, autem Dei, potentia eius est. Sic enim solet scriptura loqui, vt cū dicitur, Viderunt Aegyptios mortuos, & manum magnam, quam fecerat Dominus, id est, potentiam. Itēq; duxit eos in manu forti, &c. Sic & nos visitato sermone de Apoplecticis dicimus: Tetigit eum manus Domini, id est potentia. Congruā autem metaphorā per manum potentia significatur. Sicut enim homo manu sua omnia opera exequitur, sic Deus potentia sua. Obseruandum autem, quòd Dauid non simpliciter de manu aut potentia Dei loquitur, sed de ea, quæ grauatur. Non enim semper grauis est

est manus Dei, Nec semper terribilis eius potentia. Inuenitur enim in scripturis & Nehe. 2. manus Domini bona. Imò, sicut homo manu sua bene & malè facere potest, percutere & mederi, sic Deus sua potentia bonis succurrit, malos perdit. Ego (inquit) Deu. 32. occidam, & ego viuere faciam: percutiam & sanabo: & nemo est qui de manu mea possit eruere. In summa, quàm consolatoria est pijs manus Domini bona, tam terribilis est impijs manus Domini grauis. Aperis (inquit Dauid) manum tuam, & Pfsal. 144. implet omne animal benedictione. Itēq; Cum ceciderit iustus, non collidetur: quia Pfsal. 36. Dominus supponit manum suam. Hic habes manum Domini bonam. Econtra autem, Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, Dexteram tuam inueniat omnes Pfsal. 20. qui te oderunt, pones eos vt clibanum ignis, &c. Hic habes manum Domini grauem. At cùm dicit, Dominus erigit elios, Dominus illuminat cæcos, &c. & in fine, Vias peccatorum disperdet. Hic habes vtranq; manum Domini. Vtranque expertus est Dauid. Verùm hic tantùm loquitur de manu graui, qua scilicet premit & terret quos vult. Tripliciter autem manus eius grauis dicitur ac premit. Primò, cùm temporalia aufert. Secundò, cùm corpus

corripit infirmitatibus. Tertiò, cùm animam terret suo iudicio. Vbique grauis est manus Domini, sed tamen differenter.

In primo siquidem, cùm externè nos affligit, manus eius grauis est, & valde premit. Sensit hoc Iob, cui omnia sua bona simul perierunt. Sensit Iacob, cui semper vna tentatione cessante aderat alia & maior. Sensit hoc Ioseph in suo exilio. Sensit Dauid, qui nec in terra Israël, nec inter alienigenas securus erat! Sentiunt adhuc, quibus sua vel incendio pereunt, vel aliàs auferuntur. Quàm grauis sit hæc manus Dei, quàm vrgeat & premat: vt vix inueniatur, qui eam patienter ferat. At longè grauior est manus Dei, vbi ipsum corpus tangit. Sensit hoc Iob, Thobias, Ezechias.

**Iob. 2** Hinc Diabolus, cùm videret sanctum Iob patienter ferre externorum ablationem, egit vt etiam in corpore percuteretur: Pellelem, inquit, pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Sed mitte manum tuam, & tange carnem eius, &c. Sub hac manu Domini videmus, quomodo gemant & murmurent homines, & sæpe desperent. Verùm longè grauissima est manus Dei, cùm animam suo iudicio terret, hoc est, cùm homo videtur sibi consistere coram Dei iudicio, nihilque  
videt

videt in Deo nisi iratum iudicem: in se autem nihil nisi peccatum, & nullum effugium, hinc cadunt omnia, in quibus homo confidebat, hinc neceſſe eſt, vt homo trepidet. Ante faciem enim indignationis eius, quis ſtabit? Hinc ſi Deus interrogauerit, non poteſt homo reſpondere vnum pro mille, imò cogetur obmuteſcere, ſempérque timere, ne de ſe dicatur, Ligatè illi manus, & pedes, & proijcite, &c. Hæc eſt verè grauis manus Domini, imò nihil niſi infernus. Hic enim terror, & horror verè infernus eſt. Vide autem quàm facilè Deus ſic terrere poteſt.

Non opus habet multo negotio: ſolo aſpectu, ſolòq; verbo omnem noſtram fortitudinem deiicit in ſummum pauorem.

Sic in Exodo dicitur: Reſpexit Dominus ſupra caſtra Aegyptiorum, &c. & ſtatim ſequitur: Subuertit rotas curruum, ſerebanturque in profundum. En ſolo aſpectu perdit impibs. Sic Abacuck: Aſpexit (inquit) & diſſoluit gentes, & turbati ſunt montes ſeculi. Sic Dauid: Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos. Et iterum: Increpaſti gentes, & perijt impius. Vides etiam ſolo verbo impios ita terreri, vt conſiſtere non poſſint. Quòd ſi ſola Dei facies,

Nahu. 1  
Iob. 9

Matt. 2

Exo. 12

Abac. 34

Pſal. 2

Pſal. 9

- & increpatio hominem ita terret, quid faciet eius seuera iustitia, ira, & furor? Si stil-  
**Iob. 26** las indignationis eius ferre non possumus, quomodo feremus tonitruum? Hanc manum Domini deprecabatur Dauid, cum diceret, Domine ne in furore tuo corripias me, &c. sed miserere mei, quoniam infirmus sum, &c. De hac manu Domini etiã hic loquitur. Quoniam inquit, die ac nocte grauata est super me, hoc est, nunquam cessat dolor, nunquam remittitur angustia, quia manus tua semper me premit.

Hic igitur vide, quanta sit infania nostra, qui tam pertinaciter contra Deum agimus, cum solo nutu, & verbo nos perdere possit, & ita perterrefacere, vt constare non possimus. Vide deinde cæcitatem nostram, qui tam ridiculè de peccatis, & iudicio Dei loquimur, & sentimus, cum audiamus sanctos viros tantum tamq; miserabiliter sub ea manu Dei gemere. At nihil tamen sentio (inquis.) Age igitur gratias Deo, qui tibi parcit. Age gratias Christo, qui hunc horrorem pro te pertulit, cum diceret: Tristis est anima mea vsque ad mortem, sanguinẽque sudaret, &  
**Matt. 26** demum in cruce clamaret, Deus meus, vt  
**Luc. 22** quid me dereliquisti? Iustè inquam merebamur, vt perpetuò in hoc horrore esse-  
**Matt. 27** mus,

mus, sed parcit nobis Deus propter Christum. Interim tamen, vt sciamus, & videamus, qualiter nobiscum sua iustitia agere posset, ostendit hunc terrorem, in quibusdam sanctis, vt in Dauide, Iob, Ezechia, Christo. Itémq; in aliquibus impijs, vt in Iuda traditore, Itémque in Cayn, &c.

Hoc igitur iterum tale quid est, quod meritò ad pœnitentiam nos permouere deberet. Nec enim est aliud medium ad hanc manum Dei euadendam. Sed audiamus sequentia.

*Conuersus sum in arumna mea, dum  
configitur spina.]*

Sic habet Textus noster. Est autem sensus, Quandoquidem ego ita me ipsum negligebam tacendo, & occultando peccatum meum, tu Deus meus de salute mea sollicitus, vt me ad pœnitentiã peccatiquè cognitionem, & confessionem perduceres, grauasti super me manum tuam, hoc est, tam graues mihi tentationes inflixisti, vt in tali afflictione positus, agnoscensque vlttricem manum tuam, tandem conuersus sim de peccato ad te Deum, à quo per peccatum fueram auersus, cum remorsus ille malæ conscientie ad modum spinæ pungeret me, imò adeò mihi infixæ esset

D 5 spina

Spina illa, vt me semper vexaret, & dilaniaret. Alij sic exponunt: In illa ærumna mea sic me verti, & reuerti, quasi qui volutatur in spinis, totusque fui in miseria, dum mihi infixa esset spina iudicij tui, & ex altera parte me pūgerent spinæ peccatorum, Itēque gratiæ contemptæ, & temporis perditī. Cæterum, hoc loco in Hebræo additur, Selah, quæ dictio nusquam in tota scriptura inuenitur, nisi in Psalmis, & Cantico Abacuck. Voluerunt autem quidam per Sela, significari sensum esse finitum. Alij paulandum esse in cantu, Alij notam esse exaltandæ vocis, vel mutationis carminis. Reuera autem Selah, nihil aliud est, quàm monitorium, vt diligentius, quæ dicta sunt, attendamus, quemadmodum in libris nostris, vbi quid notatu dignum occurrit, vel manum appingimus, vel ascribimus notam, aut aliud quoddam signum addimus, quo lector moneatur, ne oscitanter eum locum prætereat, sed diligenter expendat. Et reuera David dictionem hanc Sela nusquam posuit, nisi vbi magnum quid dixerat. Sic hoc loco: Quoniam inquit, die ac nocte gravata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Sela, quasi diceret, Verè grauis manus

manus Domini, verè pungit spina con-  
 scientiæ. Attende hoc Lector, multum  
 enim facit ad poenitentiam. Hierony-  
 mus sic transtulit: Versatus sum in mise-  
 ria mea, dum exardesceret messis iugiter.  
 quod ita intelligitur: Tribulatus & affli-  
 ctus fui in miseria mea, cum viderem iu-  
 giter peccata mea maturescere, & appro-  
 pinquante æstu iudicij diuini, quasi ad  
 propinquam retributionem parari. Com-  
 petit & huic sensui Selah adiunctum. Ve-  
 rè enim notatu dignum est, quòd peccata  
 nostra indies crescunt & maturescunt, in-  
 diésque appropinquet iudicium Dei, quò  
 velut in messe peccata nostra tollentur,  
 cum scilicet matura fuerint, hoc est, cum  
 impleuerimus mensuram peccatorum no-  
 strorum. Attende hinc Selah positum, hoc  
 est, te commoneri ad diligentem confide-  
 rationem eorum, quæ dicuntur. Alij sic  
 transferunt, Immutatus est humor meus  
 in siccitates æstatis, hoc est, quicquid an-  
 te peccatum in me fuerat viroris, & hu-  
 moris, ex gratia Dei, exiccatum est, velut  
 æstate nimio æstu solet exiccari terra. Hic  
 igitur competit Selah, vt scilicet cogite-  
 mus perniciem peccati, &c. Hæc est igitur  
 vna eruditio, quam Dauid dat, imò di-  
 dicit in hoc Psalmo, nempe, grauitatem  
 manus

Matt. 23



manus Domini & peccatorum. Hæc autem non eò dicuntur, vt ad desperationem nos adigere cupiat, sed vt ad pœnitentiam permoueat, vt patet in sequentibus.

## Sermo Sextus.



Uita & magna hæctenus dixit Dauid de grauitate man<sup>9</sup> Domini, de spina malæ conscientia, atq; adeò de miseria hominis peccatoris. Restat audire, quomodo hanc manum Dei grauem, hanc spinæ punctiõnem euaserit.

*Delictum meum cognitum tibi  
feci, &c.]*

Hic primùm ponitur vera, & summè necessaria eruditio, Hic describitur vera, & utilis pœnitentia. Hic vides, quo medio conscientia angustiatæ mederi possis. Nihil profuerat Dauidi, clamare, conqueri, suspirare, &c. Donec os in confessione aperiret, Nec mirum. Nam etiam in externo morbo quantumuis quis gemat & clamet, non minuitur tamen morbus, nisi eum medico ostenderit. Hæc igitur  
erit

erit eruditio huius versus, quòd spina malæ conscientiaë pungens & mordens nunquam nullisq; remedijs euelli aut extrahi potest, nisi os aperiatur ad confessionem peccati. Per os (inquam) exit hæc spina, & quandiu os claudis, manet infixæ animæ: quantoque minus te humiliaueris, tantò grauius te premit, & vrget manus Dei. Verè necessaria eruditio. Verba igitur hæc diligenter expendamus. Prius tamen videamus, quid Dauid sub graui illa manu Domini egerit, quod ipsi non in malum, sed in bonum celsit. Nam plerisque eadem manus Domini cedit in malum, vt patet De Iuda, & Cayn. Atqui Deus non ideò aggrauat super nos manum suam, vt nos perdat, sed vt sanet, & purget. Mallet quidem non nisi leni & bona beneficæque manu nobiscum agere.

Verùm nos in bonis semper peiores effici-mur, ideò quodammodo cogitur grauem suam manum imponere. Hæc enim nos humiliat & vrget ad bonum: iuxta illud: Iugum & lorum curuant collum durum. Hinc in Psalmo dicitur: Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt. Et iterum: Cum occideret eos, quærebant eum, &c. Et in Osa: Sepiam viam tuam spinis: & tunc dices, reuertar ad virum

Eccl. 33

Psal. 15

Psal. 77

virum meum priorem, &c. In hunc finem Deus manū suam super nos grauat, Pauci autē hoc intelligunt. Hinc videmus, quōd plerique hanc manum sentientes, sibi ipsi necem inferunt putantes se per hoc euasuros manum Domini, cum nihil minus fiat.

Abijciendo enim manum Dei, non effugies eam, sed duplicabis. Sensit hoc Ionas. Ionæ. 1  
Ier. 28 Unde in Ieremia dicitur: Cōfregisti catenas ligneas, & habebis pro eis ferreas. Alij manum Domini sentientes, omnibus voluptatibus, & mundanis gaudijs se immergunt, sperantes per hoc se posse mitigare internam angustiam: Verū frustra. Ne hoc quidem prodest. Alij omnino desperant, & à Deo se auertunt, nihil boni amplius facere volentes. Non sic agit David, sed quomodo? Primò suffert manum Dei.

Deinde nō à Deo, sed ad Deū fugit. Hoc notēt homines afflicti. Videte ne impatiēter manū Domini abijcere conemini. Deinde non à Deo, sed ad ipsum Deū currite. Nec vos terreat irata eius facies, cōsiderate è regione faciē eius placatā in Christo.

Tentat enim vos Dominus & per tentationes ex vobis vasa gratiæ facere intendit.

Videte igitur, ne è manibus eius excidatis. Audite quid David hīc faciat, Sic territus & angustiatuſ non à Deo, sed ad Deum fugit.

fug  
tibi  
lite  
me  
alib  
tun  
pen  
cog  
sem  
tius  
qui  
tus  
dix  
B  
H  
obl  
ter  
ui  
act  
qui  
Si  
den  
fi  
fur  
I  
fed  
dis  
aut  
tur

fugit. Delictum (inquit) meum cognitum tibi feci, &c. Sic in Psalmo alio, cum similiter sentiret manum Dei, dicit, Misere mei Domine, quia infirmus sum, &c. Sic Psal. 6  
 alibi quoque dicit: Cor meum conturbatum est in me, &c. & dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? quasi diceret, sic cogitabam, quòd si haberem pennas, possem effugere. Verùm aliud propius & certius medium inueni: Expectaui, inquit, eũ, Psal. 54  
 qui saluũ me fecit à pusillanimitate spiritus, &c. Sic Ieremias: Pars mea Dominus, Tren. 4  
 dixit anima mea, propterea expectabo eũ.

Bonus Dominus sperantibus in se, &c.

Hoc igitur primùm circa hunc versum obseruandũ est. Caterùm, nec hoc prætereundem est, quòd David innuit se graui manu Dei ad confessionem peccati adactum. Vbi planè vides superbiam hominis, qui ne coram se quidem facillè humiliatur.

Sic videmus in Adã & Cayn, &c. Sic videmus in nobis ipsis, qui tam grauatim cõfitemur, &c. Maximè autem obseruanda sunt, quæ David hic de confessione dicit.

De cõfessione (inquam) non quacunque, sed peccatorum. Nam est & cõfessio laudis diuinæ, de qua frequenter in Psal. Hic autem de confessione peccatorum loquitur, idèò nominat peccata, nominat iniustitiam,

tiam, nominat impietatē. De hac (inquam) loquitur, & quidem lōgè aliter quàm nos.

Nobis confessio videtur inutilis, & non necessaria, impossibilisq; esse, ac denique contra libertatē Christianam. Dauid autem dicit hanc confessionem sibi summè fuisse consolatoriam, sibi in bonum cessisse, se ab omni angustia exemisse. Denique clarissimè de ea loquitur, vt vix alibi meliùs inuenias. Quis Dauidem docuit sic sentire de confessione? Manus Domini. Et reuera caro, & sanguis non hoc docet, tanti æstimare confessionem, imò eam maximè oderunt. Manus autem Domini hoc docet. Nec aliud in causa est, quòd adeò contempnimus confessionem, quàm quòd non sensimus manū Domini. Hanc si vel ad momentū temporis sensissemus, pro summo bono confessionem duceremus. Et quidem videmus interdum aliquos contemptim fatis de confessione loquentes, postea ita tentationibus obrui, vt nisi confessionis remedium haberent, planè desperarent. Tu igitur quisquis es, noli confessionem cōtemnere, noli seductorum verba audire, qui placentia loquuntur: noli item carni, & sanguini naturæq; tuæ nimium indulgere aut credere: sed audi Dauidem, imò spiritum sanctum: is  
te doc

te docebit num confessio peccatorum, utilis sit vel non: Itémq; necessariáne an secus: Imò docebit te, quid & quomodo confitearis, & quid fructus inde consequaris.

Primò igitur vides híc apertè confessionem in scripturis fundatam, id quod & alibi manifestè videmus, vt cum Sapiens dicit: Qui absconderit scelera sua, non dirigetur. Qui autem ea confessus fuerit, misericordiam consequetur. Et alius: Ne confundaris inquam confiteri peccata tua. Pro. 28  
Eccle. 4

Et Ioannes: Si confessi fuerimus peccata, fidelis est Deus, &c. Vides tandem non esse nouum quid, & nuper inventum, sed semper fuisse apud fideles vtriusque Testamenti. Sic confitetur híc Dauid. Sic confitebantur qui in Templo sacrificia offerrebant. Sic confitebantur fideles in primitiua Ecclesia. Et te igitur non pudeat hos imitari. Videmus tertio híc, quòd Deus etiam confessionem ab homine exigit, & omnino habere vult, adeò, vt eos qui sponte confiteri nolunt, manu sua graui ad hoc vrgeat. Et reuera sic omnino fiet, aut enim híc spontè nos confiteri oportet, aut postea inuitè & coactè in pœnis. Vult enim Deus vt omnem gloriam iustitiæ & bonitatis ipsi soli tribuamus. quod fieri non potest, nisi nos ipsos iniustitiæ & peruersi-

E tatis

tatis accusemus. Qui hæc tria diligenter attendit, non disputabit, num confessio sit de iure diuino, vel humano. Hic enim videbit Deum exigere confessionem. Nec obstat, quòd patres veteris Testamenti Deo confessi sunt, nos autem confiteamur hominibus. Nam & hi etiam coram hominibus peccata sua confitebantur, vt David coram Nathan, & nos Deo peccata nostra confiteri oportet. Sacerdoti enim confitemur, non vt homini, sed vt Dei ministro, qui in persona Dei nos absoluit. Vides igitur, quam vana sint omnia, quæ contra confessionem adducuntur. Tu si errare non vis, si tibi ipsi benefacere cupis, audi & imitare Dauidem & senties tibi non malè cessurum. Hæc de confessione in generali dicta sint. Nunc audiamus etiam, quid David confessus sit, & quomodo. Et primò obserua, quòd David de peccatis loquens, non vno nomine vtitur, sed tribus, quorum semper posterius grauius est præcedente. Primum est delictum, quo comprehenduntur, quæ per omissionem committuntur. Secundum, est iniustitia, cum scilicet non tantum bona omittantur, sed etiam mala contra legem Dei, & maxime contra dilectionem proximi committuntur. Tertium est impietas cordis, quæ gra

2. Re. 12

gra  
De  
m  
fua  
qu  
ra.  
ni  
co  
re  
  
co  
tur  
fib  
ca  
ac  
hi  
fe  
m  
te  
er  
qu  
fa  
co  
qu  
ne  
et  
qu  
in  
u

gra

grauissimum peccatum est, cum scilicet Deum non curamus, non timemus, non amamus. Omnia hæc David in confessione sua inclusit. Et verè obseruanda res est, quod vir tanti nominis (cui nedum scriptura, sed etiam Deus ipse, tantum testimonium perhibuit, vt diceretur vir secundum cor Dei) omnis generis peccatorum se reum agit, omissionis iniustitiæ, impietatis. 1.Re.13

Quid hic dicemus nos? Vides, quàm nos confundat vir ille & Rex? Quis non miretur hanc humilitatem? In nullo siquidem sibi ipsi parcit: Manifestè se confitetur peccatorem, hominem scelestum & impium, ac nudum se offert misericordiae Dei. Nihil dissimulat, nihil tegit, nescit quomodo se satis accusare possit, & debeat. In summa, omnem dolum è spiritu abiicit, veritatem cõfitemur, misericordiã implorat. Hic erubescat negligentia nostra, imò impietas qui semper nobis iusti videmur, cum etiam sanctus hic tantorum se peccatorum reum confiteatur. Discat autem fidelis quilibet, quòd omnia hæc ad confessionem pertinent Delictum, iniustitia, impietas. Iam tecum perpende, quæ præcepta Dei omiseris, quid contra Dei prohibitionē egeris, quam impietatem in corde habeas, & ni fallor inuenies quid cõfiteri debeas. Deinde & hoc



obseruandum, quod Dauid etiam confes-  
 sionem non vno, sed tribus verbis enun-  
 tiat: Cognitum (inquit) tibi feci, Non ab-  
 scondi, Confitebor. Et horum etiam sem-  
 per posterius plus quiddam habet præce-  
 dente. Plus enim est non abscondere iniu-  
 stitiam, quàm simpliciter fateri delictum,  
 id est, peccata omissionis. Sunt enim, qui  
 confitentur, quæ bona omiserint, sed tacent  
 quid iniusti commiserint. Deinde plus est  
 fateri impietatem cordis, quam non abscon-  
 dere iniustitiam. Multi enim fatentur se  
 iniustos, sed nolunt esse impij. Dauid au-  
 tem omnia hæc simul coniungit, Notum  
 facit, non abscondit, confitetur. Hæc con-  
 geries verborum ostendit ardentem ani-  
 mum fuisse in Dauide, adeò vt vix inuenerit,  
 quomodo se satis accusare possit. Bone  
 Deus, quàm nihil est confessio nostra ad  
 hanc confessionem Davidis. Imò si con-  
 fessio nostra ad hanc conferatur, audeo di-  
 cere, quòd nihil est, nisi deceptio nostri, il-  
 lufio Sacramenti, contemptus Dei. Nihil  
 enim inter omnia frigidius agimus, quàm  
 negotium confessionis. Multòq; maio-  
 rem diligentiam adhibemus, si quid leuio-  
 ris summæ hominibus debemus, quàm hîc,  
 vbi Deo (Deo inquam) plusquàm decem  
 milia talenta debemus. Quis non con-  
 tre

Matth. 18

tremiscat ad hanc nostram oscitantiam  
 Vos fratres charissimi moneo, attendamus  
 nos ipsos. Imitemur Dauidem, nostra res  
 agitur, aut magno bono, aut magno peri-  
 culo nostro. Scrutemur itaq; vias nostras,  
 & reuertamur ad Dominum.

## Sermo Septimus.



Vdistis superiori Sermone,  
 quónam medio Dauid vsus  
 fit ad euadendam manum  
 Dei grauem, conscientiaéque  
 spinam pungentem. Deli-  
 ctum (inquit) meum cognitum tibi feci,  
 &c. quibus verbis satis ostenditur, quid tam  
 ipse, quàm spiritus sanctus sentiat de con-  
 fessione peccatorum, nempe quòd res sit  
 utilis, necessaria, & summè consolatoria: vt  
 verè mirum sit, quòd nos Christiani sic eam  
 contemnamus, tam scurriliter de ea loqua-  
 mur, tàmq; omnino eam omittamus, cum  
 tamen plus habeamus, quàm Dauid habue-  
 rit, nempe, certam promissionem & abso-  
 lutionem, quam ministri Ecclesiæ ex insti-  
 tutione, & mandato Christi nobis commu-  
 nicât. Quid simile habuit Dauid? & tamen  
confessus est in spe misericordiæ conse-

quende, quæ tamen cum non fefellit: multò libentius confessurus, si certam sibi absolutionem dandam sciuiisset. In summa, hæc Davidis deuotio, instantia, feruor confundit & arguit nostram negligentiam. Verùm progrediamur in Psalmo, audiamusq; quomodo David confessus sit.

*Dixi, Confitebor aduersum me iniquitiam meam.]*

In hoc versu describuntur ipsissimæ conditiones veræ confessionis, ita vt non faciliè exactius inueniri putem, etiamsi multos libros euoluamus. Singula enim verba hîc posita speciale quiddam ad confessionem pertinens præ se ferunt. Igitur singula etiam nobis expendenda sunt. Primum verbum est, Dixi, id est, cogitavi, proposui, quo verbo palàm indicat se non impremeditatè ad confessionem accessisse, quemadmodum nos, sed præmeditatum, itémque cum deliberatione præuia. Magni enim negotij res est, cum Deo de peccatis agere, vt docet parabola de seruo debitore. Quàm reprehensibiles igitur sunt, qui rationem reddituri de modica summa pecuniæ, maiorem curam & præmeditationem adhibent, quàm cum Deo rationem reddere debent decem milium talentorùm! Deinde etiam

Matt. 18

utop

ideò

ideo dicit David se proposuisse confiteri et  
 apud se deliberasse, ne putaretur coactus, &  
 contra voluntatem suam hoc fecisse. Gra-  
 uabat quidem eum manus Domini, sed ta-  
 men premeditatus confessus fuit, & volun-  
 tarius. Itidem nobis faciendum. Ecclesie  
 quidem preceptum nos iubet confiteri, non  
 tamen propter solum preceptum confiten-  
 dum est, sed quia videmus Ecclesiam mone-  
 re quod bonum est, voluntarie illud appre-  
 hendamus. Hilarem enim datorem dili-  
 git Deus. 1. Cor. 9  
 Secundò, non dicit poeniten-  
 tiam agam, contritionem habebò, super  
 peccatis dolebo, &c. sed confitebor. Exigit  
 enim Deus vocalem confessionem, vult vt  
 ore nostro nos accusemus, quemadmo-  
 dum Daniel, Tibi (inquit) iustitia: nobis au-  
 tem confusio faciei nostrae. Hanc voca-  
 lem confessionem certum est Deum exi-  
 gere, adeò vt si eam voluntarie non præ-  
 stemus, inuitos eam præstare nos coactu-  
 rus sit, id quod sæpius fecit, vt patet in Ma-  
 nasse, Antiocho, &c. Maximè autem eam  
 exprimet in inferno, vbi tamen nihil plus  
 proderit confessio. Tertiò, non dicit, Con-  
 fitebor iustitiam meam, merita mea, quem-  
 admodum Phariseus ille faciebat in Tem-  
 plo, & nunc plerique etiam in confes-  
 sione peccata obticentes, tantum bona sua

Dan. 9

Lucè 18

- opera recensent, sicq; videntur habere vo-  
**Gen. 27** cem Iacob, sed manus, id est, opera eorum  
 sunt manus Esau. Non sic Dauid: Confi-  
 tebor iniustitiam meam inquit, Imò vt su-  
 præ dictum est, etiam delictum & impie-  
 tatem. Hæc pertinent ad confessionem,  
 Hic aperi os. Merita autem tua tace, & soli  
 Deo ea æstimanda relinque. Quartò, si-  
 gnanter addit iniustitiam meam, quemad-  
 modum & supra dixerat: Delictum meum.  
 & infra: Impietatem cordis mei. Semper  
 (inquam) pronomen hoc addit. In con-  
 fessione enim nos ipsos accusare oportet,  
 non alios. Tua peccata confitere, non alio-  
 rum. Confitebatur & Adam peccatum,  
**Gen. 3** verùm non suum, sed vxoris. Mulier (in-  
 quit) dedit mihi, &c. Verùm hæc confes-  
 sio magis ei obfuit, quàm profuit. Quint-  
 tò, dicit, Confitebor Domino, hoc est, sine  
 fictione, tanquàm coram eo, quem nihil  
 latet, qui omnia vider coram, cuius oculis  
**Heb. 4** omnia nuda & aperta sunt. Itidem tibi per  
 suadeas te non homini confiteri, sed Deo.  
 Hominem fallere potes, sed non Deum.  
 Vltimò addit, aduersum me. Sunt enim,  
 qui de peccatis suis gloriantur, & se iactant.  
**Pro. 2** Iuxta illud: Exultant in rebus pessimis, &  
 gloriantur cum malè fecerint. Sunt alij,  
 qui peccata sua in Deum referunt: in quo-  
 rum

rum persona Iob loquebatur. Si peccati (inquit) quid tibi feci, aut incommodaui? Iob 7. Imò, cur non tollis peccatum meum? Cur fecisti me contrarium tibi, quasi diceret, tu causa peccati es, &c. Alij peccata in diabolum referunt, hunc accusant, non se, Alij constellationibus peccata sua imputant.

Verùm omnia hæc mala sunt. David non gloriatur de peccatis suis, non inculcat Deum, non culpatur diabolum, aut constellationes, sed inquit: Confitebor aduersum me ipsum. Ego solus in culpa sum, Præua mea voluntas causa est peccati mei. Vide, quàm pulchrè David veras illas confessionis condiciones descripserit. Fuit confessio eius nuda. Notum, inquit, feci, non abscondi, confessus sum. Fuit vera, quia ex animo fuit præmeditata, quia dixi, id est, proposui. Fuit accusatoria, quia aduersum me. Fuit integra, quia non solum peccata, sed & delictum & iniustitiam & impietatem confessus est. Fuit denique in fide, quia Domino facta est. Quid amplius quæris de confessione? Nõne hîc expressum habes exemplar veræ confessionis?

Quid hîc dicent, qui eos irrident, qui de conditionibus confessionis scripserunt? An non fundamentum habent in scriptura?

Restat, charissimi fratres, vt contempnis

E s. falsa

falsariorum clamoribus, sanctum Dauidem  
 initemur. Scrutemur vias nostras & re-  
 nertamur ad Dominum: Tollamus nobis-  
 cum verba, & dicamus: Nòs iniquè egi-  
 mus, ideò tu inexorabilis factus es. Nunc  
 autem, Domine, omnem aufer iniquita-  
 tem, & reddemus vitulos labiorum nostro-  
 rum. Ne quem autem confessio pecca-  
 torum grauet, audiamus etiam eius vtili-  
 tatem. Dixi (inquit) confitebor & tu re-  
 misisti impietatem peccati mei. Vides hìc  
 confessionis summam vtilitatem, quòd per  
 eam confertur remissio peccatorum, per  
 eam teguntur peccata, & non imputantur  
 peccata. Quod autem maius bonum ho-  
 mini contingere potest, quàm remissio  
 peccatorum? Peccato enim remisso iusti-  
 ficati & beati sumus, vt in exordio Psalmi  
 audiuius. Attende autem emphasim ver-  
 borum. Nondum confessus (inquit)  
 eram, sed tantum dixi, id est, proposui, &  
 tu remisisti, &c. Si voluntas confitendi re-  
 missionem peccatorum adfert, quantò ma-  
 gis ipsa confessio? Imò si hoc potuit con-  
 fessio coram Deo tantum, & cum nondum  
 effusus esset sanguis Christi, nondum datae  
 essent clauis ligandi, & soluendi, remit-  
 tendi & retinendi, quantò magis hoc po-  
 terit confessio nostra, quae adiunctam ha-  
 ber

bet absolutionem efficacem ex merito passionis Christi, & ex eiusdem Christi institutione? Hunc confessionis fructum attendamus, & non pigebit nos confiteri, quod vt melius fiat, etiam hic additur in fine Sela, quod, primò nihil aliud est, quàm confirmatio eius, quod vltimò dictum est. quasi diceret: Reuera sic est, reuera remissisti. Deinde monitoriũ signum est, vt hic intendamus cogitationem, cogitemusque quantum bonum sit remissio peccatorum, imò quanta bonitas Dei, qui remittit tantũ debitum, tantum sui contemptum, & pro tantillo, imò gratis. Nihil enim exigit nisi confessionem. Solis verbis vult contentari. Quid minus exigere posset? Noli tu tibi remittere peccata, & iam à Deo remissa sunt. Noli tu tegere, & iam tecta sunt. Tu tibi imputa, & nõ imputabuntur tibi à Deo. Hanc Dei misericordiam diligenter cogitandam admonet nos hæc dictio, Sela, in fine huius versus posita. Ex omnibus igitur iam dictis patet, quid Christianus de confessione peccatorum sentire debeat.

Nihil de meo dixi, sed omnia, vt vides ex scriptura. Scito igitur hanc Dei esse voluntatem, vt confiteamur peccata nostra, Confiteamur autem non fictè, sed ex animo in fide, & fiducia gratiæ & misericordiæ Dei  
per



per Christum. Si Dauidem non fefellit hæc confessio, nec nos fallat. Sentiant alij quod volunt.

## Sermo Octauus.

Pfal. 31



Vdistis supra, quomodo & per quod medium Dauid & peccata sua & malam conscientiam, manumq; Domini euaserit. Delictum (inquit) meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Hoc vltimum verbum non dubium est eum dixisse cum magno affectu, feruore, & gratitudine, id quod & adiunctum Sela ostendit. Verè enim laude & gratiarum actione dignum est, cum quis in conscientia sentit sibi remissa esse peccata, id quod sequens versus planius ostendit.

*Pro hac orabit ad te omnis  
sanctus, &c.]*

Sensus verborum est: Si semper irascere-  
reris, nunquam autem peccata remitteres,  
nemo

nemo quicquam gratiæ sperare posset. quia autem tam benignè remittis, tamque manifestè hanc misericordiam in me ostendisti, alij confidentiùs orabunt pro remissione peccatorũ. Misericordia mihi ostēsa, omnibus peccatoribus spem & consolationem dabit, ne vnquàm desperent de gratia. Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Pro hac, id est, quia tam benignè remittis. Si enim non remitteres, nemo oraret. In eundem modum loquitur Paulus: Ideò (inquit) misericordiam consecutus sum, vt in me primùm ostenderet Christus Iesus omnem patientiam ad informationem omnium, qui credituri sunt, &c. Quòd si verum hunc ad præcedentes conferamus, habebimus quatuor, ad consequendam remissionem peccatorum requisita. Horum primum est, te ipsum sine dolo agnoscere, arguere, condemnare. Secundum suspirare ad gratiam. Tertium confiteri peccatũ.

Quantum orare pro venia. Hæc qui non facit, nullam speret remissionem peccatorum. Cæterum docet versus hic, quòd omnes homines, imò omnes etiã sancti necesse habēt orare pro remissione peccatorum. Vnde palàm sequitur, nullum etiam sanctũ esse sine peccato: ideò non dicit: Pro hac orabit omnis homo, ne quis crassos tantum

- tum peccatores hac oratione opus habere putet, sed dicit, Pro hac orabit omnis sanctus, Contra Phariseos, qui sibi persuadent se non esse sicut ceteri hominum sunt, sed
- Lucæ. 18** iustos & sine peccato, nec opus habentes remissione peccatorum, qualis erat Pharisæus ille in Euāgelio, & adhuc multi Hypocritæ sunt, qui intelligūt se versu illo tantū admoneri, vt pro aliorum peccatis orent: quandoquidem propria peccata non habent. Et quidem verum est, quòd tenemur etiam pro aliorū peccatis orare, hoc enim
- Exod. 32** charitas exigit. Sic orauit Moyses pro peccatis Israëlitarum. Sic Daniel pro peccatis in captiuitatem abductorum, &c. Sic Ieremias in Threnis suis. Cæterū longè aliud vult Dauid, nempe, quòd nemo tam sanctus est, qui non opus habeat pro suis proprijs peccatis orare. Non enim loquitur hīc de sanctis, qui cum Christo sunt, sed de his, qui in terra adhuc degunt, quales sunt credentes. Hos enim scriptura tam in veteri, quā nouo Testamento sanctos nominat. Sic Moyses Israëlitis dicebat: Populus sanctus domini es. Sic Paulus ubiq; fideles sanctos nominat. Sed dicis, quomodo sancti sunt, cum adhuc orare habēt pro remissione peccatorū? Quomodo simul stare possunt, sanctum esse, & simul etiam peccatorem

rem esse? Audi, nō ideò sancti dicuntur Christiani, quòd sine omni peccato sint. Sanctitas in ipsis cœpta est, sed nōdum perfecta.

Hinc Ioannes: Qui sanctus (inquit) est, Apoc. 22  
sanctificetur adhuc. Sic Moyses Israëlitas Deut. 7.

quidem pronuntiat esse populum sanctum Domini, sed interim subinde admonet & in  
clamat, Sanctificamini. Itidem faciunt Pro- Exo. 20  
phetæ. Sic Petrus nos quidē nominat ge- 2. Pet. 1

nus electum, gentem sanctam: interim ta- 1. Ioan. 3  
men Ioannes dicit, Qui hanc spem habet, 1. The. 5  
sanctificat seipsum. Sic Paulus credētes san-

ctos nominat, sed interim simul orat, vt Deus ipsos sanctificare dignetur. In summa, non ideò sancti dicimur, quòd nullum peccatū habeamus, sed quòd indies pro remissione peccatorū oramus. Sancti sumus propter fidē, propter nomē Sanctę Trinitatis, quod super nos inuocatum est, propter sanguinē Christi, quo abluti sumus, propter nomen Christi, quo insigniti sumus, propter spiritum sanctū, quem in Baptismo accepimus. Sed interim in nobis ipsis nihil aliud sumus, quàm peccatores. Meritò igitur etiam omnis sanctus orat pro peccato.

Docemur igitur hoc versu, vt etiam iustificati non otiemur, sed semper oremus pro peccatis. Addit autē Dauid, in tēpore oportuno, & quidem nō sine causa. Non enim  
semper

semper erit tempus oportunū orandi. **O-**  
**Ecclef. 8** mni negotio tempus, & opportunitas, ait  
**Ioan. 9** Sapiens. Hinc Christus dicit, Me oportet  
operari, dum dies est: venit nox, in qua ne-  
mo operari potest. Sic fatuæ virgines non  
exaudiuntur, quantumuis inclament, **Do-**  
**Mat. 25** mine Domine aperi, quia non in tempore  
oportuno orant, sed post clausam ianuā.  
**Gal. 6** Ideò Paulus monet, vt dum tempus ha-  
bemus, operemur bonum. Cæterum tem-  
pus oportunū orandi pro remissione, apud  
veteres erat tēpus sacrificij matutini & ve-  
spertini. Circa sacrificia enim vel maximè  
oportebat ipsos orare pro venia, id quod  
maximè nobis dictum putemus, tunc scili-  
cet esse tempus oportunum orandi pro ve-  
nia, cū memoria celebratur sacrificij, quod  
Christus in cruce obtulit. Tunc enim vel  
maximè impetratur remissio propter meri-  
tum passionis Christi. Deinde tempus o-  
portunum est, cum Deus internè mouet  
corda nostra, admonetq; peccatorum com-  
missorum. Hoc dum sentis vide ne tempus  
hoc prætereas. Item, tempus oportunum  
est, cū Deus per nuntios suos gratiam  
suā nobis offert. Hinc Ecclesia semper post  
prædicationem Euangelij confitetur, &  
orat pro remissione peccatorum. Præter-  
eà, tempus oportunum est, cū homo se-  
ipsum

ipsum recolligit, atq; à se ipso rationē operum suorum exigit. id quod pius homo omni die facere debet. Tunc inquam tempus est orandi. Generaliter autem tempus oportunitatis est tempus noui Testamenti, & gratiæ. Ideò autē dicitur tempus oportunitatis, quia in eo tempore Deus promisit, se exauditurum & adiuturum. Tempore (inquit) accepto exaudiui te, &c. Vult igitur Dauid ne tempus hoc prætereamus. simulq; ostendit, quid sancti querant in hac vita, nempe, non diuitias, non honores, &c. sed remissionē & gratiam. Hinc Dauid: Ne auertas (inquit) faciem tuam à me, &c. Et Ieremias, Sana me Domine, & sanabor: saluū me fac, & salus ero. Non sis mihi tu formidini, &c. Per hoc igitur nedum arguuntur hypocritæ, vt dixi supra, sed etiam quique peccatores, qui cessant orare pro remissione peccatorum. Si enim sancti orant pro remissione, quàm reprehensibile est, vbi peccator non orat? Si sancti securi nō sunt cum paruis & paucis peccatis, quomodo tu securus eris cum multis & magnis? Si iustus vix saluatur, impius & peccator vbi parebunt? Vide autem demerentiam hominum mundanorum, quò magis pij orant pro peccatis suis & alienis, eò magis mūdus insanit. Sic Moyse oran-

2. Cor. 6

Isai. 49

Psal. 142

Ier. 17

1. Pet. 4

te populus non cessabat peccare. Sic Christo orante pro peccatis hominum, Iudæi magis insaniebant, & augebant peccata: Sic Ecclesia orante, nos nedum cessamus ab oratione, sed etiã peccata excusamus, alius sic, alius sic. Sic Daniele orante impius Rex Balthasar securus in peccatis suis erat, donec videret manum Domini contra se scribentem in pariete, Mane Cekel Phares, quo significatur, quod terminus eius iam adesset, quod nullius ponderis inuentus esset coram Deo: quod denique regnum eius auferendum ipsi esset. Itidẽ contingit his, qui securẽ in peccatis suis manent. Interim enim numerus dierum ipsorum elabitur. Interim coram Deo expenduntur & librantur opera eorum, & tandem aufertur ab eis regnum Dei, &c. Audiamus igitur Davidem, Oremus pro remissione. Non putemus rem parua esse, in qua David beatitudinem ponit, & quam omnes sancti desiderant.

Sermo

## Sermo Nonus.



Vdistis supra, quantum bonum David esse iudicet remissionem peccatorum, simulq; audistis, quibus medijs ad hæc pertingere possimus.

Ne quis autem putet se huiusmodi nihil opus habere, subdidit, omnes sanctos necessariò pro remissione hac orare, contra eos, qui putant pœnitentiam tantum pertinere ad publicos peccatores. Audiamus igitur sequentia.

*Veruntamen in diluuiò aquarum multarum, ad eum non approximabunt.* ]

Hæc verba apud Hæbræos non propriũ versum constituunt, sed præcedenti versui coniuncta sunt. Cæterum, diuersimodè transferuntur, & exponuntur. Secundum nostram enim translationem sensus est: Orant quidem, omnes sancti pro remissione peccatorum, sed in diluuiò aquarum non appropinquant ad Deum. Alij sic intelligunt, quòd quia omnis sanctus & pius homo semper ad Deum orat pro remissione, ideò ad eum pertingere non possunt aquæ tentationum. Vtraque sententia pia



est, licet posterior magis videatur fuisse  
 Dauidis. Vtranque igitur exponam. In  
 priori siquidem ostenditur, quid impediatur  
 homines, quo minus orent pro remissione  
 peccatorum: in posteriori autem, quantum  
 utilitatis adferat crebrò orare pro remis-  
 sione peccatorum. Quæris igitur, quid  
 peccatores nos impediatur, quo minus pro  
 remissione peccatorum oremus, cum ta-  
 men reos nos sciamus tãtorum criminum,  
 videamûsq; omnes sanctos orare? Diluuiũ  
 aquarum multarum. Quid hoc dictum est?  
 Aquæ multæ (inquit Augustinus) doctrinæ  
 variæ. Hæc impediunt hominem, ne oret  
 pro remissione. Cùm enim alius peccata  
 tribuat influxui stellarum, alius præscien-  
 tiæ Dei, alius dicat nihil opus esse oratio-  
 ne. Si prædestinatus (inquit) es, saluaberis:  
 etiam si non ores. Alius dicat, Christianis  
 nullum peccatum imputari, si modò cre-  
 dant, Hæc sunt aquæ multæ, hoc est, dilu-  
 uium, in quo homines ad Deum non ap-  
 propinquant. Qui enim hæc audit & cre-  
 dit, dicit, Quid opus est orare, confiteri? &c.

Sic igitur non approximant ad Deum.  
 O quot nunc sic impediuntur per falsas do-  
 ctrinas, vt nolint quicquam amplius orare,  
 aut facere, sed omnino sibi securi videntur!

Cauendæ igitur aquæ humanarum do-  
 ctri

Strinarum, ille enim impediunt. At e contra Dei doctrina, non multæ aquæ, sed vna aqua est. Hac si contentus fueris, profectò orabis pro remissione peccatorum. Scriptura enim sacra ubiq; nos peccatores esse conuincit, docetq; nos egere gratia, nihil nobis ascribere boni, sed omnia bona Deo.

In summa docet humilitatem, quam qui habet, ad Deum semper appropinquat, & orat. Hæc est expositio Augustini. Alij per aquas multas intelligunt voluptates seculi, temporaliæque bona, quæ ad modum aquæ dilabuntur. Hæ, si in alveo suo manent, id est, si ad necessitatem tantùm adhibentur, non impediunt. Si autem inundare cœperint, hoc est, si ad superfluitatem & nimio studio & amore quæruntur, certè impediunt, ne ad Deum appropinquemus.

Vnde Christus: *facilius est camelum per foramen acus intrare, quàm diuitem in regnum cœlorum.* Et iterum: *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Et Paulus: *Qui volût diuites fieri, incidunt in laqueû,* &c. In hunc modum exponunt versiculum hunc secundum translationem nostram.

Cæterùm, videtur David verba hæc in alium sensum protulisse, nempe quòd his, qui semper pro remissione peccatorû orât, nulla aquæ tribulationum appropinquare



- diceret: Pluet super peccatores laqueos,  
 Pfal. 51 ignis, sulphur, &c. Item, Dominus destruet  
 te, in finem euellet te, & emigrabit de ta-  
 Bernaculo tuo, &c. Et Isaias: Formido, fo-  
 uea, & laqueus super omnes impios. Ha-  
 bes igitur triplex aquarum, & tentationum  
 diluuiū. Sicut igitur in aquis aliqui lauan-  
 tur, alij suffocantur: sic in tentationibus præ-  
 dictis pij mundantur, impij pereunt. Hoc  
 sibi vult Dauid, cum dicit, diluuium huius-  
 modi tentationum ad eos non venturum,  
 qui pro remissione peccatorum subinde o-  
 rant. Non quod omnino nullam tentationem  
 sentiant: sed quia à nulla tentatione  
 vincantur, & deiciuntur. Impletur enim  
 in ipsis, quod Christus dicit de eo, qui do-  
 mum suam ædificat super petra. Ea enim  
 contra omnes inundationes consistere po-  
 test. Atque hoc est, quod in libro Iob de  
 viro iusto dicitur in sex tribulationibus li-  
 berabit te, id est, in hac vita. In septima au-  
 tem, non tanget te malum. Vis igitur secu-  
 rus esse, ne aquæ tribulationum te oppri-  
 mant? Ora pro remissione: tunc ad te non  
 approximabunt. dicēsque cum Dauide: In  
 pace in idipsum dormiam, & requiescam.  
 Dormies inquā, & non erit qui exterreat.  
 Vides, quantum bonum sit remissio pec-  
 catorū, & quā meritò Dauid huiusmodi  
 homin

homines beatos dicat. Cura igitur, vt & tu hanc beatitudinem consequaris.

## Sermo Decimus.



**D**Ixi ab exordio, quòd Psalmus Trigesimus primus nihil est, nisi eruditio quædam per spiritum sanctum Davidi, & omnibus peccatoribus data: & reuera sic est. Quot enim versus habet, tot & eruditiones habet, easque pulchrè ordinatas. Nam in exordio, pro fundamento ponit solos illos beatos esse, quibus Deus propter Christum remittit & non imputat peccata. Deinde suo ipsius exemplo ostendit, quàm miserè habeatur peccator. Tertio docet, quomodo remissio acquiratur. Quarto monet, vt nemo non pro remissione peccatorum oret.

Quinto, eos solos, qui hoc faciunt, tutos fore in futuris tentationibus, subindicat.

Nunc in versu qui sequitur, docebit quomodo orare debeamus. Omnia hæc diligenter attendenda sunt. Cæterum, in versu octauo diluuij aquarum multarum meminit. Quo verbo nihil aliud significare voluit, quàm varias, easque grauissimas tentationes, & maximè spirituales, quæ

F 5 nobis

nobis hęc contingunt : Et mundus quidem vitam hanc magnum & appetibile bonum esse putat, cum Iob dicat ipsam plenam esse miserijs, & nihil aliud esse, nisi militiam.

Iob 1.

Idem ẽ Psalms Davidis colligi potest. Nec facillẽ aliquem inuenias, qui plura de malis huius vitę, & tentationibus spiritualibus scripserit, quã duo hi, Iob scilicet & David. Et certẽ David non se satis dicere posse de his tentationibus putat, nec tot nomina inuenire, vt grauitatem earum tentationũ exprimere possit. Pluribus siquidem nominibus vtitur. In exordio enim Psalmi tentationes eas expressit per manũ Domini grauem, post per spinam, hęc per diluuium aquarum multarũ, in alio Psalmo per Abyssum & cataractas cœli. Quę varietas nominum ad hoc facit, vt grauitatem tentationũ melius intelligamus. Dicuntur enim manus Domini, quia premunt. Dicuntur spina, quia pungunt, nec patiuntur quiescere. Dicuntur aqua, quia submergũt, nisi adsit subleuans. Dicuntur abyssus, quia homo sibi videtur semper profundius cadere, nec fundamentum inuenire. Dicuntur cataractę, quia cum impetu veniunt, quasi hominem oppressurę.

[ Psal. 41

Has tentationes omnes expectare habemus, Et vnus quidẽ eas plus sentit, quã  
alius,

alius, imò etiam citius. Et quamuis aliqui eas hìc non sentiunt, fortius tamen eas sentient in inferno. Nec alia via eas euadere possumus, quàm ea, quam monstrauit Dauid cum dicit: Pro remissione peccatorum orabit ad te omnis sanctus. Ideò in diluuiò aquæ illæ multæ, & fortes ad ipsum non approximabunt. Ob hanc causam & ipse Dauid statim incipit orare.

*Tu es refugium meum, &c.]*

Hic primum vides, quid in diluuiò aquarum multarum faciendum nobis sit. Et hoc quidem aliàs latius docet, vt in Psalmo. xli. per totum. Hic autem quàm breuissimè monet, nempe, vt bene de Deo speremus, & oremus. Non enim (vt supra quoq; dixi) debemus à Deo, sed ad Deum fugere. Qui à Deo fugit, cadit: Qui ad Deum fugit, conseruatur. Sic etiamsi pluuiæ magno impetu è canalibus super hominem cadant, quandiu stat, nihil ei nocet, sed eo attracto dilabuntur. Si autem cadit, facillè submergitur. Vide igitur, vt firma fide cõsistas, siue aquæ è cælo, siue ex abyssò veniant. Sic tẽpore Noë simul & vno tem-  
Psal. 41  
Gen. 7

porè rupti fuerunt omnes fontes Abyssi magnæ, & omnes cataractæ cœli apertæ fuerunt.

runt, tantamq; inundationē fecerunt, vt omnis anima viuēs interiret, tamē Noë permansit illaesus. Per quid? Num per suas vires? Num per arcam suā? Non, sed per fiduciam, quam habebat in Deū, & feruentes orationes. Sic Iob vndique expugnabatur intus & foris, à Diabolo, ab hominibus: à Deo tamen perstitit. Cur? quia sperauit in Deum. Huc pertinet quod Dauid dicit: Tu es refugium meum, &c. quasi diceret, fugiant alij ad deos suos, ad demones suos, ad vires suas, ad excusationem peccatorum suorum, &c. mihi in hac tentatione, tu solus refugium es. Et reuera sic est: Nemo hīc auxiliari potest, nisi Deus. Hoc autem non omnes sciunt aut scire volunt. Ideò non dicit: Tu es refugium nostrum, sed meum. quasi diceret, Ego sic sentio, sed mūdus longè aliter. Cæterum, quod nos legimus: Tu es refugium meum, Alij legunt: Tu es secretum meū, quod in eundem sensum recidit. Nihil igitur aliud vult Dauid in hoc versu, quàm ostendere, Deum certissimū esse refugium omnium afflictorum. Nec est, quòd vereamur accedere, imò irascitur, cum aliūde auxilium quærimus. Ideò ad Ocosiam dicitur: Quia misisti ad Beelzebub, quasi non esset Deus in Israël, de lecto, quem ascendisti, non descend

scendes, sed morte morieris. Ob eandem causam etiam & Aza arguitur, imò ipse Moyses & Aaron: Quia (inquit) non sanctificastis me coram Israël, non introduceris hos Populos in terram, &c. Securè igitur ad Deum accede tentatus, & dic: Tu es refugium meum: & verè senties auxilium. Huc pertinet quod in alio Psalmo dicit de iustis: Abscondes eos in abscondito tabernaculi tui. Item quod dicit Isaias: Erit eis protectio, Umbraculum in die aestu, In securitatem & absconsonem. Notentur hæc quatuor verba, & videbitur, quàm meritò dicat Dauid: Tu es refugium meum. O verè securum refugium: ubi nō tantum mala euadimus, quæ in Psalmo Nonagesimo cōtinentur, sed ingentia bona inuenimus. Apud te (inquit) est fons vitæ, &c. Ideò & Dauid hīc non tantum nominat Deum refugium suum, sed etiam exultationem suam. Et insuper addit, iuxta Hebræum: Canticis lætitiæ circumdabis me, quasi diceret, tantam exultationem in te, & apud te inuenio, vt non possim non laudare, &c. Nos legimus, Exultatio mea, erue me à circumdantibus me. Vbi duo quædam quasi contraria sibi inuicem connectuntur. Fatetur enim se & gaudere & gemere. Nisi enim gauderet,

Nu. 20

Psal. 30

Psal. 90

Psal. 35



deret, non diceret: Tu es exultatio mea.

Nisi etiam gerneret, non diceret, Erue me à circumdantibus me. Fatetur itaque se magna quidem accepisse à Deo, sub eius refugio, sed tamen nondum omnino penitus affecuturum, quandiu est in mundo. Atq; hæc est conditio piorum in hoc mundo, quòd in Deo quidem gaudent, in

Rom. 12 seipsis autem gemunt. Vnde eis dicitur, Spe gaudentes, sed additur, in tribulatione

Rom. 8 patientes, &c. Sic & Paulus idem alibi dicit, Spe salui facti sumus. sed tamen præmittit, Intra nos metipfos gemimus, &c.

Huc pertinet, quod in fine huius versus iterum additur, Selah, quo verbo mone- mur, vt hæc duo diligenter expendamus, nempe, quanta gratia sit, quòd Deus sinum misericordiæ suæ omnibus ad se recurren- tibus aperit. Deinde, quòd quandiu hic viuimus, semper malis & hostibus circun- damur: nec vsquam securi sumus ex

toto, donec ex hoc mundo mi-

gremus. Hæc duo confi-

derare, non paruam

utilitatem ad-

fert.

SER

## Sermo vndecimus.



Vdistis præcedenti Sermone, quò debeamus confugere in tentatione, Nempe ad Deum, & quid de ipso sperare, & expectare debeamus.

Verùm dicit aliquis: Audio quòd ad Deum currere debeam, quis autem scit, an me susceptrurus sit? Hæc est noua tentatio, & summa, vbi quis tentatione pressus, nec de Deo bene sperare audet. Aliàs enim quâ-tacunque sit tribulatio, leuis tamen redditur, si bene quis de Deo speret. Nihil enim aliud, & Dauidem & Hiobem seruauit in aduersis infractos, quàm bona spes ad Deum. Ne quis igitur vsquàm de Dei bonitate dubitet, iterum personam mutat Dauid, & qui hæctenus in persona sua locutus fuit. Nunc deinceps loqui incipit in persona Dei, quasi diceret, Si mihi nō credis, saltem audi, quid Deus ipse promittat his, qui ad eum confugiunt. Sic enim dicit.

*Intellectum tibi dabo, & instruam te  
in via hac, &c.]*

Hoc verbū quidam ad personam Dauidis referunt, quasi ipse malis edoctus, velit  
confi

consilium & intellectum præbere peccatoribus, Ne similes efficiantur brutis, nec expectent, donec chamo & fræno coërceantur à malis. Melius tamen est, & magis consolatorium, ut hæc verba quasi à Deo dicta accipiamus. Sic enim primò videbimus immensam Dei misericordiam, qui non contentus remisisse debita, insuper statim addit promissa, & quidem ingentia. Promittit enim hoc versu ad se cõuersis intellectum, instructionem, & suam curam, & quid maius promittere posset? Primò (inquit) Intellectum tibi dabo. Quid hac promissione opus? Nõne homo ex natura sua habet rationem & intellectum? Verum est, habet homo in rebus externis intellectũ, adeò ut etiam alios possit instruere. In rebus autem diuinis nullum habet intellectum, sed planè cæcus est. Vnde & sapientissimi, quos habuit mūdus, ne dicere quidem aliquid certi de Deo potuerūt, & doctissimi quiq; apud Christianos turpissimè aberrarunt. Ostenditur igitur hoc versu, quòd Deus solus doctor est, atque adeò hic prosternitur omnis sapientia humana. Est enim sensus: Quia te ipsum cognoscere nõ potuisti: nunc te ad me conuerso, ego tibi aperiam oculos, ut primùm videas tenebras tuas: aliò qui nunquam vi-  
deres

deres cæcitatem tuam, & dolum in spiritu, quemadmodum & illi qui dicebant: Nunquid & nos cæci sumus? Me autem docente videbis te toto errare cælo. Non igitur doce me, neq; te, sed abneges te, mihi te totum permittite, & sic sequere me, non quò tu vis, sed quò ego volo. Esto paruulus & insipiens tibi, & sine intellectu tuo, vt sis sapiens coram me, Ego intellectū tibi dabo.

Ioan. 9

1. Cor. 2

Intellectum inquam tui ipsius, vt humilieris, intellectum mei, vt omnem gloriam mihi tribuas, intellectum terrenorum, vt ea contempnas & transeas, intellectum æternorum, vt ea quæras, intellectum pœnarum, vt eas fugias, intellectum, inquam, tibi dabo. Verè doctus homo est, qui hunc intellectum habet. Hæc est vera sapientia nostra, quæ maximè à nobis requiretur. Non enim in iudicio interrogabimur, an Aristotelem intelligamus, nec ea scientia proderit tunc, sed cognoscere Deum, erit & est vita æterna. Secunda promissio est. Instruam te. vel ( vt alij transferunt) Ducam te in via hac qua gradieris. Hæc promissio maior priore est. Multi enim intellectum habent, sed tamen aberrât, propterea quòd non habent Deum còductorem. Est igitur sensus huius verbi, quasi diceret: Non solum tibi intellectum dabo, vt & te & me

Ioan. 17

G plene

plenè cognoscas, sed insuper instruam te in via, & ducā te, ne si tibi relinquareis, iterum aberres, sed ostendā, quomodo à te ad me peruenias. Prætereà, instruā & ducam te in via hac, ne in via hæreas, sed vt ad finē peruenias. Quicquid enim extra Deū est, via est: solus Deus finis noster est. Multi autem obliti finis sui, in via, id est, in terrenis hærent, ideò instruam te in via. In summa, dabo tibi intellectum, vt cognoscas: Instruam autem & ducā te, vt sequaris, hic est verus ordo. Imò hic est verus Doctor, qui vtrunq; præstare potest, intellectum scilicet & affectum: potest illuminare intellectum, & mouere voluntatem. Hoc nemo hominum potest. Hunc igitur Doctorem quæramus, audiamus, sequamur. Aliò qui qui ignorat, ignorabitur: & qui cæcum ductorem sequitur, in foueam cadit. Tripliciter autē Deus instruit. Primò inspiratione, quemadmodum in Iob dicitur: Ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea, venas fursurrij eius, &c. Secundò, instruit verbo externo. Et tertio, pœnis & flagellis, iuxta illud: Sola veritas dabit intellectum. Tertia promissio: Firmabo super te oculos meos. Sic habet translatio nostra. At Hieronymus transfert, Cogitabo de te oculo meo, Alij: Innuam

1. Cor. 14

Matt. 15

Iob 4

Isaïe 29

nuam tibi oculo meo. Alij: Consulam tibi oculo meo. In idem autē omnia redeunt.

Est enim sensus: Ego Dominus habebō (vt dici solet) oculum & respectum ad te: conuertam oculos & aspectum meum ad te, vt te dirigā in via, quā ambulare debes: vt si fortē errare volueris à rectitudine, ego tibi indicem errorem. & si fortē ignorare contigerit, quò pergere & quid agere debeas, ego tibi indicem quid placeat mihi, & si quid mali tibi in via occurrerit, ego præfens illud depellam. Loquitur autem Deus secundum consuetudinem hominum, qui ambulantiū per ignota itinera gressus oculo & aspectu profēquuntur, vt de recto bonoq; itinere admoneant, & ab errore viæ ignaros custodiant. Aut secundū modum, quo parētes filijs peregrē euntibus, & viam ignorantibus, continuo oculos habent ad viam filiorum, vt illis iter rectum demonstrent. Hoc igitur maximum est, quod Deus ad se conuersis non tantū intellectum & instructionem, sed etiam suam curam promittit. Nec solū dicit, Pōnam oculos meos super te, quòd verē magnum est. Nihil enim aliud orant sancti, quā vt ipsos respiciat, & ne ab ipsis oculos auertat. Hic autem maius quiddam dicit: Firmabo. (inquit.) super te

oculos meos. Contingit enim eos, qui super quempiam oculos ponunt, rursus oculos auertere, idq; frequenter absq; omni ratione iusta, quod vt Deus excludat, ait, se non simpliciter positurum oculos super seruos suos, sed etiam firmaturū, id est, stabiliter firmiterq; positurum, ita vt nunquam absq; illorum culpa sit eos auersurus ab illis, super quos semel posuerit. Sine pœnitentia enim sunt dona Dei, neq; temerè mutari nouit, vt homo. Hic est igitur respectus misericordiæ Dei, de quo in alio Psalmo: Oculi (inquit) Domini super metuentes eum, & in eos, qui sperant super misericordia eius. Et iterum: Dominus amat iudicium, & nō derelinquet sanctos suos, In æternum conseruabuntur. Iam considera quantum bonum hoc sit, vbi Deus oculos suos super hominē aliquem firmat. *Quis* tali homini nocebit? Exemplo sint Israëlitę, quibus nemo nocere potuit egredientibus ex Aegypto, quia scilicet Dominus super eos firmauerat oculos suos. Vnde & Moy ses dicit: Custodiuit eum, vt pupillam oculi sui. Itēmq; Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis Reges. Sic & Saul Rex, cum omnibus adulatoribus & proditoribus suis non potuit nocere Dauidi: quia Dominus firmauerat super eū oculos suos.

Idem

Rom. 11

Num. 23

Psal. 32

Psal. 36

Deut. 32

Psal. 104

Idem videmus in Ioseph & multis alijs.

Stat enim sententia: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. *Iam vide, quàm pulchrè verba Psalmi se inuicem consequantur.* Leuauerat Dauid oculos ad Deum dicendo: *Tu es refugium meum.*

Et statim audit, Deum velle oculos suos etiam super ipsum firmare. Igitur si vis, vt Deus firmet super te oculos suos, leua tu prior oculos tuos ad ipsum, Non deflectas oculos tuos à Deo, & nō deflectet ipse oculos suos à te. Nec timere habes, ne in laqueum incidas, si semper ad Deum suspicias, cū ipse oculis suis tibi prospiciat.

Hinc Christus dicit: *Nolite solliciti esse.* Matt. 6

Et Petrus: *Omnem sollicitudinem projicite in eum, ipsi enim cura est de vobis.* 1. Pet. 5

Idè & Dauid in alio Psalmo dicit: *Oculi mei semper ad Dominum. & quasi diceretur sibi, quid ergo agis de pedibus tuis, cū non ante attendis, subdit, Quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos.* Psal. 24 *Hæ igitur tres promissiones meritò omnes homines ad Deum adducere debent.* Nihil

enim felicius eo homine, cui

Deus dat intellectū, eūmq;

instruit, & super eum

firmat oculos.

los.



## Sermo XII.

Psal. 31



Vdistis suprà, ex Psalmo xxxj. quanta bona Deus promisit his, qui ex toto corde ad ipsum conuertuntur. Intellectum, inquit, tibi dabo, &c. quid sibi velint hæc verba, & quanta bona promittant, ibidem dixi, simulq; admonui, vt quilibet Christianus benignam hæc Dei exhibitionem magni æstimet, & cum summa gratitudine suscipiat, eóq; diligentius ad Deum recurrat. Et quod ego tunc admonui, itidem & nunc Dauid ipse admonet in versu sequenti, qui vndecimus est:

*Nolite fieri sicut equus & mulus, &c.]*

Hic primò videmus, quàm nihil omiserit Dauid eorum, quæ nos ad Deum adducere possent. Nam & docuit, & promissio nibus traxit, & minis exterruit. Collaudauit beatitudinem hominis eius, qui propitium Deum habet, prædixit diluuium aquarum multarum, quod impijs superuenturum est. Adhæc ostendit Deum velle suscipere, eripere, docere, defendere, quæ omnia meritò nos trahere debent. Nunc in

fine

sine etiam admonitionem addit. Ea enim  
 necessaria est in Ecclesia. Alioqui non pro-  
 dest docere, quod bonum est, nisi subinde  
 admoneantur homines. Hinc & Paulus  
 Timotheo præcipit, ut non tantum doceat, 2. Tim. 4  
 sed arguat, increpet, obsecret, &c. Sic igitur  
 & David hic monet, ne fiamus sicut e-  
 quus & mulus, &c. Sed quid, inquis, opus  
 ei fuit hac admonitione? Quis unquam vi-  
 dit hominem in equum mutatum? Audi mi  
 frater. Non hoc timuit David, ne natura  
 hominis in naturam equi mutaretur: sed  
 hoc præmonere voluit, ne moribus & stu-  
 dijs similes fiamus brutis animalibus, id  
 quod non rarò usu venit. Vnde & scriptu-  
 ra homines impios plerunq; brutis compa-  
 rat, imò de homine generaliter dictum est:  
 Homo cum in honore esset, non intellexit:  
 cõparatus est iumentis insipientibus. Psal. 48  
 Quæ-  
 ris, in quibus eis cõparatus sit? Primò, quòd  
 solummodo ad terram respicit, & terrena,  
 cum ideò erectam staturam acceperit, ut re-  
 spiceret cœlum. Secundò, quòd tantum car-  
 nalia & delectabilia quærit contemptis ani-  
 mæ bonis. Tertiò, quòd nec se sessorẽ suum  
 Deũ agnoscit aut fert, sed ut plurimũ eum  
 deijcit. Quartò, quòd homines inter se nõ  
 minus pugnant, deuorant, opprimũt, & cot-  
 ribus se mutuò oppugnant, quàm bestia. Ezec. 34

Qui igitur hæc quatuor habet, nonne videtur tibi similis esse iumento? Adde, quòd scriptura etiam aliquos homines speciatim bestijs comparat. Sic de Ioachim dicitur: Factus est Leo: didicit prædam capere, viduas facere, &c. Sic Sapiens Principem impium nominat Leonem rugientem & esurientem. Sic alius dicit: Equus indomitus, adolescens indisciplinatus. Sic 2. Tim. 4 Paulus dicit, se liberatũ de ore Leonis. In Psal. 57 intelligit autem Neronem. Sic in Psalmo: Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, &c. Sic Christus Herodẽ nominat vulpem: Ite, dicite vulpi illi, &c. Sic Petrus in peccata recedentes comparat canibus ad vomitum reuersis, & porcis lotis in volutabro luti. Ab huiusmodi bestijs se liberari petit Dauid, cum dicit: Salua me ex ore Leonis, & à cornibus vnicornium. De eisdem dicit: Circũdederunt me canes & vituli multi, &c. Vides, quòd impij, ubiq; ob bestiales motus, bestijs comparantur. Quid autem miserius & indignius, quàm hominem tam nobiliter creatũ, fieri bestiam? Triplici honore Deus hominem dignatus est. Primò, in creatione. Secundò, in recreatione, & tertio in glorificatione. Cæterum ad bestialia opera declinando, omnem suum honorem perdit.

Nana

Nam naturam ipsam dehonestat, gratiam perdit, & indignum se gloria facit. Insuper longè deterius est, bestijs comparari, quàm bestiam nasci. Nam naturaliter non habere rationem, tolerabile est: nec quisquam ob hoc cani irascitur, quòd ratione non ducitur: non est enim eius natura. Caterùm, vbi homo rationem habens, irrationabiliter tamen vivit, reprehensione dignum est, quia vitium malæ voluntatis, non naturæ est. Non igitur mirum, quòd David monet, ne similes bestijs fiamus. Est enim sensus, quasi diceret, quia ex natura rationem habetis, & insuper Deus intellectum promittit & dat, videte ne bestijs assimilemini. Sed quid sibi vult, quòd David non canes, porcos, leones, serpentes, &c. nominat, sed tantùm equum & mulum? Num solis illis duobus non debemus assimilari? Ergo nihil obest, si mordeamus, vt canes, rapiamus vt Leones, &c. Potest dici quòd David per hæc duo animalia intellexerit omnia alia. Non enim omnia enumerare potuit, & hæc duo prima occurrerant, quæ videntur ad humanos mores magis accedere. Quòd si his animalibus similem fieri turpe est, quantò magis si porcis, Leonibus, serpentibus similes efficiamur? Alij per equum intelligunt mundum: per mu-

lum autē, carnem. Putant igitur Davidem hoc voluisse, ne vel mundū vel carnem sequamur. Mūdus enim ad quatuor peccata inducit: quæ sunt, superbia, inuidia, ira, auaritia. Caro autē ad tria, quæ sunt, luxuria, gula, acedia. Huc adducūt illud Pauli: Nolite cōformari huic seculo, &c. Et Iterū: Si secundū carnem vixeritis, moriemini. Alij per equū intelligūt peccātes apertē. Equus enim vix tenetur, fortis est, luxuriosus est, superbus, fessorē non discernit. Per quas proprietates diuersa genera peccatorū intelligūtur. Per mulum autē, Hypocritas intelligunt. Sicut enim mulus ex nobili & ignobili generatur, sic in Hypocrita cōueniunt nobile opus, & corrupta intētio. Vult igitur secundū hos, vt neq; apertē peccātibus, nec Hypocritis similes simus. Propriē autē ideō duo illa animalia præ alijs nominauit, quia magis deseruiebāt ad propositū suū. Nam vterq; tā equus, quā mulus erecto collo ambulāt, & superba animalia sunt. Hoc autē de<sup>o</sup> maximē auersatur in homine. Hoc etiā est, quod David per totū hūc Psalmū, vel maximē dedocere vult, ne scilicet superbiam<sup>o</sup>, sed oībus modis nos deijciamus, & humiliemus sub potēti manu Dei. Qui enim extēto collo ambulat corā Deo, is verē nō habet intellectu: neq; enim aut seipsum, aut Deū intelligit.

Rom. 8

I. Pet. 5

intelligit. Si enim propriã infirmitatē intelligeret corã fortitudine Dei, nedū nō superbiret, sed tremeret: quandoquidē & colūnæ cœli ad fortitudinē eius tremūt. Si Dei naturã intelligeret homo, nunquã superbiret. **Iob 16**  
 Nam Dei natura est, quòd in excelsò habitat, sed tamen humilia respicit, & ea tātum. **Psal. 112**  
 Deniq; qui peccata cōsyderat, nunquã coram iudicio Dei, erecto collo apparebit, sed caput deprimet, nec cœlū aspiceret audens, cū Publicano percutiet pectus, dicens, Deus propitius esto mihi peccatori. In summa,  
**Qui se exaltat, humiliabitur, & ecōtrã.** **Lucæ 18**  
 Erecto contra Deū collo ambulabat Nabuchodonosor, cū dicebat: Quis est Deus, qui vos liberare possit de manu mea: Pòst autē cognita virtute Dei aliter loquebatur. Vult igitur Dauid, ne ambulemus erecta ceruice, elato & præsumptuoso animo, quasi diceret  
**Etiamsi aliquando bestiale quiddã in vobis sentitis, tamē curate, ne superbiatis.** **Dan. 3**  
 Potest De<sup>9</sup> infirmitates nostras tolerare, Ipse enim nouit figmentū nostrū. Ceterum, superbiã non tolerat. Eiecit eã è cœlo, è Paradiso, è tēplo Hierosolymitano, Eijciet eam finaliter è regno suo, quod est Ecclesia. Vult vt  
**Creatura sua ipsi se subijciat, ab ipso omnia expectet, nihil sibi ipsi tribuat,** **Psal. 102**  
 In summa, oportet, vt omnis mons & collis humilietur, si cupimus videre salutare Dei. **Isai. 40**

## Sermo XIII.



Adistis suprà, quàm diligèter  
 Daud (quãdoquidem Deus  
 tã benignus est & esse vult)  
 omnes peccatores admo-  
 nuit, ne pergant erecto col-  
 lo, id est superbo corde, sicut equus & mu-  
 lus, Deo appropinquare, sed vt se humilièt,  
 agnoscant, iudicent, damnent. Verè neces-  
 saria admonitio. Nihil enim coram Deo  
 nos promouet, nisi humilitas, nihil impe-  
 dit, nisi superbia. Si potes te humiliare, inue-  
 nies Deum placatum, quemadmodum vi-  
 des in prodigo & peccatrice, & latrone.  
 Eccle. 35 Oratio enim humiliantis se, nubes pene-  
 trat: & Deus cor contritum, & spiritum hu-  
 miliatum nõ despicit. Quantumuis enim  
 Psal. 50 excelsus est, tamen humilia respicit. Econ-  
 Psal. 112 trã, si in superbia manes & pergis, nihil  
 aliud à Deo expecta, quàm quod contigisse  
 vides Pharaoni, Antiocho, Sennacherib,  
 & cæteris, nempe, quòd potenti manu Dei  
 humiliati sunt, qui seipsos sponte Deo sub-  
 dere nolebant. Oportet enim, vt Deo sub-  
 ijciamur, siue sponte, siue inuité. Dies (in-  
 quit) Domini super omnẽ excelsum & su-  
 perbũ, & arrogantẽ, & super omnes Cedros  
 Libani

Libani, &c. & incuruabitur omnis sublimitas hominū, & humiliabitur altitudo virorū: Et exaltabitur Dominus solus, &c. Ob hanc causam David non immeritò dixit, Nolite fieri sicut equus, &c. Ceterū, quia pleriq; sunt, qui tanquā bestię nolūt intel ligere, vt bene agant, imò tanquā iumēta putrescūt in stercore suo, idcirco David rursus ad Deū se conuertens orat, vt huiusmodi homines vel pœnis & plagis ad se cogat.

Psal. 35

Iob. 1

*In chamo & fræno maxillas eorum constringe, &c. ]*

Bifariām leguntur hæc verba. Aliqui enim ex Hebræo sic transferunt, In chamo & fræno maxillas eorum constringe, ne approximent ad te, ne in te incurrant, te infestent, mordeant, molestant: quemadmodum feroces equi chamo & fræno arcētur, ne hominibus appropinquare aut nocere possint. Et secundum hæc, versiculus hic tantū ad impios & damnatos pertineret.

Orat enim spiritus in Dauide, vt Deus ipsis resistat, ipsos deprimat, puniat, perdat, ne sic in Deum blasphement. Quod primum intelligitur de surperbis illis, qui iustitiam suam volunt constituere, & Dei iustitiæ nolunt esse subiecti, prædicant & iactāt sua merita, tacent sua peccata, sicq; derogāt gratiæ



gratiæ Dei per Christum ostensæ. Quid autem David? Constringe, inquit, maxillas eorum fræno, obtura os eorum, ne tam impiè derogent gratiæ Dei. Sic Paulus dicit Deum ideò vocasse non sapientes & diuites ad apostolatam, &c. sed simplices, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo, &c. Potest tamen generaliter etiam & de omnibus impijs intelligi, quorum natura est, quòd nedum Deū non agnoscunt, sed insuper repugnant, blasphemant, murmurant, omnibúsq; modis Deo resistūt, nisi prohibeātur pœnis. Dicit enim insipiens in corde suo, Non est Deus. Vbi autē Deus, timórq; eius è corde abijcitur, facile in omnia peccata ruit homo: id quod omnes historiæ ostendunt. Vnde & Poëtæ fabulantur, fuisse homines, qui etiam Ioui & dijs bellum inferre, & è cælo eos deturbare conati sint, quo nihil aliud significatur quàm immensa superbia humani cordis. Et reuera nihil crudelius vel peruersius esset homine, nisi à Deo prohiberetur fræno & chamo. Huius exemplū sit Alexāder magnus. Quāta mala adhuc perpetrasset, si diutius ei viuere licuisset? Duodecim tātū annis senserat fortunā arridentē, & eò iā dementiæ venerat, vt se pro Deo adorari faceret. Quid fecisset, si diutius vixisset? Frænū igitur impo

ei imposuit Deus, cū ei vitā abruptuit. Quod  
 de vno hoc dixi, hoc de Pharaone, Antio-  
 cho, & omnibus impijs dicere possum. Ni-  
 hil superbius homine, nisi aduersis humi-  
 lietur. tunc enim primū sentit, se esse ho-  
 minem. Hoc sibi vult, quod Sapiens dicit,  
 Flagellum equo, chamus asino, & virga in  
 dorso stulti. Hinc Iob dicit: Posuit frænum  
 in os meum, &c. Et ad Sennacherib loqui-  
 tur Deus, Ponam (inquit) circulum in nari-  
 bus tuis, & frænum in labijs tuis, & redu-  
 cam te, &c. Quale autem fuerit illud fræ-  
 num, quo à Hierusalem reductus fuit, ibi-  
 dem dicitur. Nempe, ingens illa plaga, qua  
 periit vna nocte fermè totus exercitus eius.  
 Hinc enim retractus fuit contra volunta-  
 tem suam. Eodem modo, & in Ezechiele  
 regi Aegypti dicitur, Ponam frænū in os  
 tuum, &c. Hoc vult & petit Dauid, vt Deus  
 omnes etiam alios impios, qui contra glo-  
 riam Dei se eleuāt, sic compescat, satius du-  
 cens ipsos perire, quā Dei nomen blas-  
 phemari. In enndum modum & Ecclesia-  
 sticus orat. Immitte (inquit) timorē tuum  
 super gentes: quæ non exquisierunt te, vt  
 agnoscant, quia nō est Deus nisi tu. Alleua  
 manum tuam super gentes, vt videant ope-  
 ra tua. Innoua signa, Immuta mirabilia,  
 Glorifica manum dexteram tuam, Excita  
 furo

Pro. 26

Iob. 30

Isai. 37

Ezec. 29

Eccle. 36

furorem, Effunde iram, &c. In hunc igitur sensum etiam Versiculus ille noster ad solos impios pertineret, qui digni non sunt, nisi flagellis crebris retundi & exterminari. Cæterum, tralatio nostra non habet, Ne appropinquent ad te, sed qui nolunt appropinquare ad te. Iuxta hoc igitur versus hic etiã ad electos pertineret, qui cum cessant, flagellis admouentur, ut pergant: cum lasciunt, vel ut Moyses ait, recalcitrant, chamo deprimuntur: cum per deuia currunt, fræno tribulationum reducuntur. Atque hinc vides, ad quid vtilis sint tribulationes, & ad quid nobis immittantur. Iumento ferocienti expedit, ut ei infideatur, & ut fræno regatur, aliò qui vel ad præcipitia curret, vel sessorem deijciet, aut alios molestabit. Nihil est quod equum melius domet, quàm frænum: sic hominem tribulatio & aduersitas. Quod equus est sine fræno, hoc homo est sibi ipsi relictus. Non igitur iræ, sed gratiæ est, quòd Deus frænum homini

**Actor. 9** imponit. Currebat Paulus siue fræno, cum Ecclesiam persequeretur, certòque seipsum perdidisset, nisi Deus frænum illi imposuisset prosternens ipsum in terrã, & magnas minas ingerens. Quid autem Paulus? Nū indignatur cõtra Deum? Num murmurat? Non, sed magni beneficii loco ducit, quòd

fic

sic coërcitus esset. Misericordiam, inquit,  
 consecutus sum, &c. Sic & omnes sancti di  
 cunt: Lætati sumus pro diebus quibus nos 1. Tim. 1  
 humilasti: annis quibus vidimus mala. Hoc Psal. 89  
 est, quod Paulus monet, vt disciplinam Do  
 mini patienter feramus. Nam etsi in exor  
 dio non videtur esse gaudium: in fine tamē Heb. 12  
 gaudium perfectum adferet. Hinc David  
 orat, vt tam ipse, quàm alij vel fræno &  
 chamo ad Deum attrahantur, quasi dice  
 ret, In hoc meo peccato fræno & chamo, id  
 est, angustijs, flagellis, & terroribus me ad  
 pœnitentiam adegisti: aliôquî nondum me  
 conuertissem. Vtinam igitur & in poste  
 rum me cessantē sic vrgeas & trahas, imò  
 non me, sed omnes in peccatis otiosè iacen  
 tes. Melius enim esset & mihi & eis vel pœ  
 nis ad Deum cogi, quàm in peccatis perire.

In hunc modum etiam sponsa orat: Trahe  
 me post te. Et David, Cōuerte nos Deus Can. 1  
 salutaris noster, &c. Arguitur hic impie  
 tas nostra. Primò, quòd nihil ad eò cupi  
 mus, quàm ne quoquo modo impediamur Psal. 84  
 in nostro proposito. Nec quicquam gra  
 uius nobis videtur, quàm si vel morbo ali  
 quo, vel alio quopiam infortunio gaudia  
 nostra turbentur, vel impediuntur. Deinde  
 omnino nolimus fræno duci, sed omnia  
 fræna rumpimus sub prætextu Christianæ

libertatis. Volumus enim liberi esse, hoc est, liberè agere quod liber, ne à quopiam arguamur vel impediamur. O libertatem præposteram! Non est hæc libertas Christiana, liberè peccare, omnia induentia ad bonum spernere, omnia retinentia à malo abrumpere & conculcare. Non sic agit Dauid. Is frænum poscit, ne rebellet. Si te grauat frænum, age tua sponte quod bonum est, fac, & vita malum, & nihil te grauat frænum, quò te ducit Ecclesia, imò non opus habebis eo. In summa, si Christianus es, noli abijcere frænum sine te ducere ad bonū. Longè enim melius est, quàm si tibi ipsi relictus, in præcipitium eas.

## Sermo XIII.



Est adhuc duo versus Pſal-  
mi xli. declarandi, quorum  
alterum modò absoluam.

Postquàm igitur Dauid ora-  
uit Deū, vt nolètes appropin-  
quare ad se, fræno & chamo cõpellat, subdit  
quasi cõcludere volens, omnia quæ dixerat.

*Multa flagella peccatoris, &c.]*

Hic versus est quasi summa totius Pſal-  
mi,

mi, ac eundem ferme sensum & affectū habet, quē Moyses etiam expressit in suo Carmine cū diceret: Vtinam scirent, & intelligerent, &c. Eodem modo & Dauid hic dicere vult, Vtinam non appropinquantes ad Deum scirent & crederent, quāto melius sit iustis hic & in futuro, quā peccatoribus. Vtinam praeuiderent, quāta impios flagella maneāt hic, & in futuro. Vtinam vel semel sensissent, quāta consolationem in Deo inuenient, qui in ipsum sperant. certē meas illas eruditiones non spernerent, sed totis viribus me imitantes, ad Deum conuerterentur. Verū filij Adā neutrum cognoscūt, nec quid boni iam habere possent, nec quid mali ipsos in futuro maneat: quemadmodum & Christus de Iudaeis conqueritur, quod nec diem pacis, nec diē futuræ calamitatis agnoscerent. O inquit, si cognouisses & tu, &c. Verū abscondita sunt ab oculis tuis. Duo itaq; habemus ex hoc versiculo. Primò, quod impijs certissimè parata sunt flagella, quantumuis interim videantur securè agere. Secundò, quod sperantes in Deum certissimè misericordiā consequentur, quāto melius ea differri videatur. Vtrunq; horū diligēter notādum est, & qui ea rectè attendit, totū Psalmum habet: omnia enim eò tendunt, vt & impij

Deut. 32

Luc. 19

terreantur, & tentati consolentur. Itaq; si totum Psalmum retinere non potes, saltem hunc versum retine, Imò vt cum Moyse loquar, inscribe eum foribus tuis, doce eum filios tuos. Duo siquidem verba sunt, quorum alterum te abstrahet à peccatis, alterum conseruabit te à desperatione. Sed videamus verba. Multa (inquit) flagella peccatoris. Vide pulchrum ordinem. Suprà de chamo & fræno dixit, hîc de flagello. Hęc enim tria plerunq; non procul ab inuicem sunt, & quod priora duo non consequuntur, tertium exequitur. Si fræno & chamo nihil proficitur, adhibentur flagella.

Vult igitur Dauid ostēdere, quòd qui fræno & chamo non attrahuntur, hi nihil aliud expectare habent, quàm horribile flagellum iudicij Dei. Obseruandum autem, quod peccatorem quidem in singulari, flagella autē in plurali profert, Non enim dicit multis peccatoribus debētur multa flagella, sed vnicuiq; peccatori debentur multa. Et reuera sic est, scriptura & experiētia testibus, quantūuis mūdus nō credat, donec suo malo sentiat. Multa autē flagella peccatoris esse dicit, quia flagellatur in corpore, & anima, in hoc & in futuro seculo, in se & in suis. Hinc Ioannes, vidit ex ore Christi Ier. 17 procedere gladium bis acutum. Ieremias quoq;

quoq; dicit duplici contritione cōterendos  
 impios. Et Iudith: Dabit (inquit) ignē, & Iudithvl.  
 vermes in carnes eorū, vt vrātur, & sentiāt.

Quòd si scripturas quæris, en Moyses  
 dicit: Si non audieris vocem Domini Dei  
 tui, &c. Percutiet te Dominus plaga Ae-  
 gypti, &c. Hic habes flagellum corporis.

Item dicit: Dabis tibi Dominus cor pau- Deut. 28  
 dum, &c. hīc habes flagellum animæ. Et

Dauid: Dominus (inquit) destruet te, in Psal. 51  
 finem euellet te, &c. hīc habes flagellum  
 huius temporis. Et Isaias: Præparata est

(inquit) ab heri tophet, vel gehenna, pro- Isa. 30  
 funda, & lata facta est, Nutrimenta eius  
 ignis, &c. Hic habes flagellum futuri tem-  
 poris. Vides igitur, quā verè dixerit Da-  
 uid, Multa flagella peccatoris. Huc perti-  
 net quod in Moyse dicit Deus, Cūm arri-  
 puerit iudicium manns mea, reddam vltio-

nem hostibus meis. Et Nahum: Dominus Nah. 1  
 fortis & æmulator, vlciscens Dominus, &c.

Et quid opus multis? cūm vel ipsa expe-  
 rientia videamus multa esse flagella pec-  
 catoris, quanquā in multis impleatur il-  
 lud Ieremiæ: Percussisti eos, & nō dolue-  
 runt. Hoc igitur primo loco docet Psal.  
 hic. Caterū, cūm omnes simus pecca-  
 tores, ne quisquam desperet, addit: Speran-  
 tem autem in Domino misericordia circū-

H 3 dabit.



- dabit. Hoc nos consolatur. Si times flagella, curre ad Deum: Si vrgent te flagella, quaere misericordiam. Attende autem & hinc ordinem verborum. Primò enim non simpliciter dicit, Qui sperant in Domino, misericordiam inueniēt, sed misericordia eos circumdabit. quod longè maius est. Circumdabit (inquit) eos à tergo, ne praterita eis peccata imputentur. A fronte, ne timeant mala futura: de sursum, ne premat iudicium Dei, de deorsum, ne deuoret infernus, Ex utroq; latere, ne aberrant & cadāt.
- Pfal. 58** Hoc est, quod Dauid dicit: Misericordia eius præueniet me. Item, misericordia eius subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.
- Pfal. 22** Sicut igitur nihil miserius est eo homine, quem iudicium Dei vndiq; premit, & vrget, sic nihil felicius eo homine, quem misericordia Dei circumdat. Hic enim securus dicere potest, Deus noster refugium & virtus. Ipse enim sperantibus in se est, & refugium & turris fortissima in aduersis. Nubes protegēs & obumbrans in prosperis, & præmiū eorum erit in cœlis. Obserua autē quod Dauid omnia hæc, misericordiā nominat, vt scias ea ex gratia dari, nō de iustitia præsumētibus, sed sperantibus in Deū, vel vt Paulus ait, credētibus in eum, qui iustificat impiū. Sic igitur finis Psalmi, cū principio
- corres

correspondet. Vtrunque enim iustificatio,  
& salus nostra fidei, vel gratiæ tribuuntur,  
ea autem in solo Christo reperitur. Per Ioan. 1  
ipsum enim veritas, & gratia facta est.

Veritatem autem huius versus apertif-  
simè videamus in passione Christi. Quod  
enim David verbis hîc pronuntiat, multa  
scilicet esse flagella peccatorum, multam  
item misericordiam Dei, erga bene speran-  
tes, nusquam tamen clariùs apparet, quàm  
in passione Christi. Cur enim Christus  
tot & tam magna pati voluit, & debuit in-  
tus & extrâ, in omnibus membris suis, nisi  
propter peccata nostra? Hæc flagella no-  
bis debebantur, nobis parata erant, nobis  
iam iam incutienda, at Christus in locum  
nostrum stans ea in se recepit, se percuti  
passus est, vt nos liberi abiremus. Et quid  
eum ad hoc permouit? sola misericordia,  
& cõpassio qua ad nos ferebatur. Eadem  
misericordia etiam Deum mouit, vt sic fla-  
gellaret propriû filium. Sic (inquit) Deus Ioan. 3  
dilexit mundum, vt filium suum vnigeni-  
tum daret. Et iterum: Proprio filio suo  
non pepercit Deus, &c. Sic igitur tota Rom. 8  
Christi passio non est aliud, nisi expressum  
speculum miseriæ nostræ, & misericordiæ  
diuinæ. Et sic etiam oportet nos eam in-  
tueri: vt scilicet primò nos ipsos in ea con-

sideremus, hoc est, deformitatē nostram, miseriam nostram, peccata nostra, & iram flagellāque, quæ merebamur. Hæc inquam cōsiderare nos oportet, & inde contremiscere, gemere, pectus tundere, clamare. Ego sum, qui peccaui. Ego iniquē egi, & tu ô bone Iesu ultione plecteris, &c.

- Lucæ 23 Itēque, ô si in viridi ligno hoc faciunt, in me arido quid fiet? Si iustus pro alienis peccatis sic affligitur, quantò magis affligetur peccator pro peccatis proprijs? Si filius dilectus tā crudeliter flagellatur, quid fiet de inutili & nequā seruo? In hunc modum passio Christi consideranda est. Hoc voluit Christus, cū diceret, Nolite flere super me, sed super vos ipsos, &c. Hoc & Zacharias prædixit: Aspicient inquit in eū, quem confixerunt, & plangent eum. Vel vt Ioannes ait, Plangent se super eum, omnes gentes. In illa die erit plāctus magnus in Ierusalem, & plangent familiæ, & familiæ seorsum, &c. Cæterum, postquàm sic in passione Christi considerauimus peccata, & flagella, & iram Dei, quæ peccatoribus debetur, vertamus oculos ad misericordiam Dei, qua factum est, vt Christus ea pro nobis susceperit, & passus sit, hic rursus spem cōcipiemus, Nusquàm enim certius vides Dei misericordiā & dilectionem

nem erga nos , quàm in passione Christi.

Si enim filiũ proprium nobis , & pro nobis dedit , quomodo non omnia cum ipso donaret ? Si Christus tam misericorditer mala nostra suscepit , quomodo non , & sua bona nobis communicaret ? Sic igitur ex passione Christi discite primò timorem , deinde & spem . Cùm audis Christum captum , vulneratum , flagellatum , contremisce : sunt enim flagella , quę tibi parata erāt .

Rom. 8

Interim tamen cùm audis , Christum ea pro te sustinuisse , concipe spem de misericordia Dei , & dic , Non desperabo de venia , quia vulnere Domini recordabor .

Si enim Deus tantam satisfactionem pro nobis sustinuit , credo , quòd mihi omnibũsque credentibus veniam dabit propter obedientiam & meritum filij sui . Hęc duę considerationes multũ nobis proderunt .

Prior enim illa , id est , cõsideratio flagellorum nostrorũ faciet , vt humilieris , peccata defleas , & deinceps ea deuities . Posterior autem faciet , vt Christo , imò & Deo Patri perpetuò gratias agas . Hęc si in passione non ad singulos articulos feceris , frustra eam audies . Verũ de hoc quoque satis . Audiamus nunc , quomodo David totum Psalmum concludat :

H 5 Lata

*Latamini in Domino & exultate iusti:  
& gloriamini omnes recti corde.*

Hæc est conclusio huius Psalmi, brevis quidem, sed admodum consolatoria præmiserat Dauid: Sperantem in Domino misericordia circūdabit. Quibus verbis statim admonitionem suam addit: Latamini in Domino. Et hoc quidem in genere dicit omnibus, qui misericordiam Dei consecuti sunt. Hos meritò ad gaudium inuitat. Quis enim iustius gaudet, quàm cui Deus peccata sua remittit, tegit, & non imputat, Imò eum docet, ducit, clementer aspicit, misericordia sua circumdat, ac planè in omnibus tentationibus refugiū eius est? Specialiter tamen nos lætari iubemur in Christo Domino nostro. Is enim causa est omnis lætitiæ nostræ. Hinc Ioanni

Apoca. 5

dicitur: Noli flere, Ecce vicit Leo de tribu Iuda. Et Christus ipse: Nolite timere:

Apoca. 1

Ego sum. Ego (inquit) sum primus & nouissimus, & fui mortuus, & ecce, sum uiuens in secula seculorū. Et habeo clauis mortis, & inferni, &c. Et ecce vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.

Matt. 28

Vnus hic Christus causa debet esse gaudij nostri. Ad hoc gaudium inuitat nos Dauid cum dicit: Latamini in Domino.

Non

Non enim loquitur de gaudio munda-  
no, quod nihil ad rem pertinet, sed de gau-  
dio spirituali. quo interim gaudere debe-  
mus, donec ad verum gaudium peruenia-  
mus. Cæterùm, hic nobis videndum est,  
quinam sint, ad quos hoc gaudium perti-  
net. Hoc autem David diligenter expri-  
mit, cum non quoscunque, sed iustos tan-  
tùm, & rectos corde ad gaudium inuitat.

Sed dicis: Si iusti tantum huius gaudij  
participes sunt, quæ spes nobis relicta est,  
qui sumus peccatores, & iniusti? Vel, vbi  
sunt illi iusti, cum scriptura aperte dicat:  
Non est iustus quisquam, ne vnus quidem:  
Omnes enim declinauerunt, &c. Audi,

Psal. 13

Eum autem pronuntiat iustum, cui Deus  
remittit, tegit, & non imputat peccata, hoc  
est, credenti in Christum. Eum autem re-  
putat rectum corde, qui nullum in spiritu  
habet dolum. Vel secundum Augusti-  
num, iusti sunt, qui non in se vel in sua iu-  
stitia, sed in Domino, eiusque gratia lætan-  
tur. Rectos autem corde, qui manû Do-  
mini patienter ferunt, non reclamantes aut  
murmurantes, vt impij faciunt, qui in ad-  
uersis iudicant Deum, aut nõ esse iustum,  
aut non curare nostra. Distorti sunt, non

Roma. 4

Iob 21

subijc

subijcientes voluntatem suam diuinæ voluntati. Itaq; si verè in Domino lætari volumus, quæramus veram iustitiam, conseruemus rectitudinem cordis. Hæc nisi fecerimus, lætari in Domino non possumus.

Hactenus igitur de hoc Psalmo dixisse sufficiat. Faxit Deus Optimus Maximus, vt per veram pœnitentiam ad gaudium illud spiritus omnes pertingamus, Amen.

*DECLAMATIO*  
*num in Psalmum tricesimum primum*

FINIS.





EIVSDEM IO-  
ANNIS FERI, ENAR-

*ratio in Psalmum Sexagesi-  
mum sextum.*

Sermo Primus.



Via conduplicatum concio-  
nādi munus mihi rursus im-  
positū est, reuerendo nimi-  
rum Domino huius Metro-  
politanae Ecclesiae Parocho  
& Concionatore vigilantissimo, Reuerē-  
dissimi quoque Principis nostri in Ponti-  
ficalibus vt vocāt Vicario ad comitia Au-  
gustana, per Cæsaream Maiestatem euo-  
cato, vt vnā cum alijs doctis, & pijs confi-  
lia sua communicet, si quo tandem modo  
& Ecclesia pacificari, & perpetuae illae cō-  
tentiones in rebus fidei, sedari possint, o-  
peræpretium me facturum arbitror, si pro  
cōcione matutina breuē aliquam & piām,  
ex Dauidicis Psal. precationem huic tem-  
pori, & negotio pacificandae Ecclesiae con-  
uenien



uenientem charitati vestrae proposuero, id quod & alias non semel feci. Sedulis enim ad Deum precibus nobis opus est, ut ipse quoque negotio huic, sedandae discordiae adesse dignetur, Ecclesiaeque suae pacem restituat. Nam alioqui solis humanis consilijs nihil agitur. Id quod hactenus plus fati experti sumus. Neque enim semel tantum in hac re, spes & expectatio nostra nos fefellit. Ceterum, non ob id desperandum nobis est: contingere enim aliquando videmus, quod vna hora plus efficimus, quam prius in multis annis. Nouit Deus quando & quomodo, nobis suo auxilio adesse velit & debeat. Non igitur cessemus de ipso bene sperare, quoadiu scimus eum misericordem esse. Interim tamen dum alij consilijs suis, pacem Ecclesiae promouere student, nobis ad Deum confugiendum est, eiusque gratia imploranda, ut negotium hoc conciliandae doctrinae felicem successum fortiatur. Nam etiam nostra res hic agitur, & vae nobis, si pacem ecclesiae cernere non dabitur. In eum igitur finem Psalmium Sexagesimum sextum enarrandum assumpsi. Is enim pulchre, & quam breuissimè nos docebit, quid hoc tempore potissimum orare debeamus. Verba autem eius Psalmi haec sunt.



*D*eus misereatur nostri, &  
benedicat nobis: illumi-  
net vultum suum super  
nos, et misereatur nostri.

*Vt cognoscamus in terra viam tuam, in  
omnibus gentibus salutare tuum.*

*Confiteantur tibi populi Deus, confitean-  
tur tibi populi omnes.*

*Latentur & exultent gentes, quoniam  
iudicas populos in equitate, & gen-  
tes in terra dirigis.*

*Confiteantur tibi populi Deus, confitean-  
tur tibi populi omnes, terra dedit fru-  
ctum suum.*

*Benedicat nos Deus, Deus noster, benedi-  
cat nos Deus, & metuant eum omnes  
fines terræ.*

Hunc Psalmum hancq; Davidis pre-  
cationē paucis explicare proposui, ob id vel  
maximè, quòd à capite ad calcem vsq; ni-  
hil aliud, quàm piam quandam precatio-  
nem habet fidelis populi, multis & sæpe  
repetitis verbis Dei, gratiam & miseri-  
cordiam petentis, vt omnes populi, omnes  
homin

homines illuminentur, & ad verum Deum conuertantur, sicq; in toto mūdo intér que omnes gentes, vera Dei cognitio & cultus, laus & gloria promoueat. Hoc sibi vult Psalmus hic. Et quid melius, conuenientius magisque necessarium petere possemus hoc maximè tempore, quo in plerisq; impletur illud propheticum, Propterea captiuis abductus est populus meus, quòd non habuit scientiã. Et illud: Non est scientia Dei in terra. Et illud Dauidicum: Nescierunt, non intellexerūt, in tenebris ambulāt: ex quo fit, vt etiam fundamenta terræ cōmoueantur. Eò feruentius vera Dei cognitio, illuminatio, benedictio & misericordia, pijs precibus quærenda sunt. Nec est, quod putemus preces nostras sine fructu abituras. Multum enim valet oratio iusti assidua, id quod Iacobus duplici exemplo Helix probat, quia & Moses solus in monte orans, maiorem stragem intulit Amalechitis, quàm Iosue cum omni suo exercitu. Et Christus ipse pro impossibili ducit, quòd homo exorabilior esse possit, quàm Deus. Audite (inquit) quid impius iudex dicat: Et si Deum nō timeo, nec homines reuereor: tamen quia molesta mihi est hæc mulier, vindicabo eam ab aduersarijs eius. Et Deus non faceret vindictam elect

electorum suorum clamantium ad eum die ac nocte. Et iterum: Si vos cum sitis mali, Luce 11  
nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis Deus dabit Spiritum bonum petentibus se? Imò in alijs locis pollicetur se nobis Ioan. 14  
daturum quicquid in nomine eius petierimus. Ecquid autem melius, & illi magis placitum in nomine eius petere possumus, quam pacem & vnitatem Ecclesiæ? Ad hoc autem non parum nobis conducet Psalmus hic.

Docet enim verum modum, qualiter, & pro quibus rebus, Deus à nobis interpellandus sit. Insuper etiã quibus in ratione verbis tamẽ nobis suggerit. Atq; hæc quidem vna causa est, quòd Psalmum huc præ alijs selegerim. Altera est, quòd Scriptura ubiq; Dei misericordiam commendat. Hoc enim nos ad orationem inuitare debet: Misericors Exo. 22  
(inquit) sum Dominus Deus tuus. Et in Euangelio: Misereor super turbam. Quid autem Mar. 8  
iustius sequi debet, vbi se Deus misericordem esse profitetur, quam vt misericordiam petamus? Quòd si nihil nobis constaret de eius misericordia, quis nostrum ipsi appropinquare auderet? Nam & hoc scripturæ tradunt, quòd Deus noster ignis consumens est. Ante faciem indignationis eius quis stare poterit? Dicit Nahum. Et Isaias: Nah. 1  
Quis poterit habitare cum igne deuorante? Isa. 33

I Nunc

Psal. 66

Nunc autem cum ubiq; misericordia eius prædicetur, possumus & nos confidenter dicere: Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, &c. Et hoc igitur me non nihil permouit ad hunc Psalmum enarrandum. Atq; hæc quidem pro exordio dicta sufficiant.

Nunc rem ipsam aggrediamur, ac verba Psalmi profundius aliquantò scrutemur. Sic igitur Psalter exorditur:

*Deus misereatur nostri, & benedicat nobis. Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.*

In hoc primo versu, ante omnia obseruandum est: quòd nomen quidem Dei primo loco ponitur, verum semel tantum, statim autem subnectuntur alia tria verba (nempe, misereatur, benedicat, illuminet,) quorum singula specialem Dei operationem indicant. Hinc enim veteres Ecclesiæ Doctores non dubitarunt, Spiritum sanctum per hoc voluisse trinitatem personarum, in vna diuina essentia adumbrare. Et hæc etiam tria verba, pulchrè nobis referunt cuiuslibet personæ diuinæ specialem operationem. Primò enim nulli magis competit benedicere, nulli etiam conuenientius appropriatur, quàm Patri. Patris enim est

est benedicere filios, id quod in Isaac, & deinde etiam in Israël videmus. Deinde Gen. 27.  
 nulli iustius appropriatur illuminatio, quã & 49  
 filio, qui dicit: Ego sum lux mundi. Et de Ioan. 8  
 quo Ioannes dicit: Erat lux vera, quæ illu- Ioan. 8.  
 minat omnem hominem venientem in  
 hunc mundum. Præterea, nulli etiam iu-  
 stius appropriatur misericordia, quã Spi-  
 ritui sancto, qui & aliàs Dei bonitas amôrq;  
 nominatur. Sic igitur triplicem habemus  
 in diuinis personis operationem, sed vnum  
 tantum Deum. Deus Pater benedicit, Deus  
 filius illuminat, Deus Spiritus sanctus mi-  
 seretur. Quòd autem scriptura hoc loco  
 tres illas personas non apertè nominauit,  
 sed tantum singularum appropriata & ope-  
 rationes, idèò factum est, ne rudis populus,  
 & ad Idololatriam tres deos esse putaret.

Nondum enim tempus erat, vt myste-  
 rium sanctę Trinitatis apertè publicaretur.

Ideò Dauid, vel Spiritus sanctus per os  
 Dauidis deitatis nomen in hoc primo ver-  
 su proponit: statim autem triplicem perso-  
 narum diuinarum operationem subnectit,  
 quo pijs ipsa Sanctis Trinitatis ita publica-  
 retur, vt tamen impijs & indignis tantum  
 mysterium occultaretur. Quod autem  
 illud, Misereatur nostri quod Spiritui san-  
 cto appropriatur, bis ponitur in princi-

pio videlicet versus & etiam in fine (quàm in Hebræo non nisi semel ponatur) id significat, quòd Spiritus sanctus dupliciter misericordiam & gratiam suam nobis ostendit, Primò, in anima, deinde etiam in corpore. Nam animam resuscitat à morte peccati, quæ est resurrectio prima, corpus autem à morte, & corruptione externa.

Hæc est duplex illa misericordia: nam sine Spiritu sancto nulli contingit vita animæ, hoc est, remissio peccatorum. Verbo enim Domini cœli firmantur: & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et qui Spiritum Christi non habet, hic non est eius.

Deinde sine Spiritu sancto nemo resurget in corpore, Spiritus enim Christi in nobis habitans suscitabit corpora nostra. Hęc igitur sit prima consideratio, iuxta primum hunc versum. Cæterum non hic nobis subsistendum est, sed singula verba exactius discutienda: nolumus enim opera diuinarum personarum à se inuicem separare, sed in communi omnia & singula verba, de ipsa sancta Trinitate intelligere.

Hic igitur primò obseruandum erit, quid sibi velint tria hæc verba, Misereri, Benedicere, Illuminare, quid in se contineant, quàm homines huiusmodi diuinarum operationum participes sint, & quomodo

ad ea

ad ea pertingamus. Et primò quidem non defunt, qui verbum illud misereri, ad pœnitētes referunt: hi enim vel maximè egent misericordia. Verbum Benedicere, referunt ad proficientes, qui quotidiana benedictione Dei opus habent. Verbum, Illuminare, referunt ad perfectos & exercitatos: hi enim indigent illuminatione. Quòd autem verbum ( Et misereatur nostri ) in fine versus repetitur, referunt ad morientes. Et quidem pia sunt hæc, Optima enim pœnitentium oratio est, Deus misereatur nostri. Proficientium verò, Deus benedicat nobis, Perfectorum autem, Deus illuminet vultum suum super nos. Et morientium, Deus misereatur nostri. Pia inquam sunt hæc. Verùm Scriptura sacra non fert, vt diuinas illas operationes ad specialia hominum genera referamus. Nam pronomina illa, nostri, nobis, super nos, manifestè indicant, quæ hîc dicuntur ad omnes nos pertinere. Non enim dicit Deus, misereatur pœnitentibus. Benedicat proficientibus, illuminet vultum suum super exercitatos. Sed dicit, Deus misereatur nostri, benedicat nobis, & super nos illuminet vultum suum. Omnes enim egemus talium operum Dei. Omnes inquam opus habemus, vt Deus nostri misereatur, nos benedicat,



dicat, vultum suum super nos illuminet. Et deniq; etiam secundo, in morte nostri miseretur, cōmunis inquam oratio est, & esse debet, quia quemlibet Christianum, & pro se, & pro omnibus hominibus vti decet. Secundum hoc igitur quatuor bona in hoc versu petimus: quatuor etiam orando, de nobis ipsis mala confitemur, & sic etiā fieri necesse est. Si cupimus Dei bonorum effici participes, oportet, vt inopiam nostram agnoscamus, & confiteamur. Quid igitur in primo verbo petimus? Misericordiā. Et quid vicissim confitemur? Nostram miseriam, quæ est autem miseria nostra? Quòd omnes peccauimus, & destituimur gloria Dei: atq; omnium bonorum indigni, omnium autem malorum digni sumus. Quæ est autem misericordia Dei? Quòd remittit peccata: benignus enim est & misericors, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Hoc igitur ante omnia nos docet spiritus Sanctus, petere, & sic etiam necesse est. Quamdiu enim peccata in cōscientijs nostris residere patimur, non est, quòd vel misericordiam, vel benedictionem à Deo speremus. Peccata enim nostra prohibent à nobis omnia bona: vt Ieremias ait, Imò diuidunt inter nos & Deum, nam aliòqui manus eius nondum est ab-

Rom. 3

Iohel. 1

Iere. 5

breuia

breuiata, vt saluare non possit, Isaia teste.

Verus igitur ordo in oratione seruatur, cum primò dicimus, Deus misereatur nostri. Quomodo enim Spiritus sanctus aliud doceret, quàm certam veritatem? Quid sumus aliud, nisi peccatores? Quid magis nobis necessarium, quàm Dei misericordia? Non docet Spiritus sanctus, vt dicas, Non sum sicut ceteri hominum, iniusti, raptore, adulteri, Ieiuno bis in Sabbatho, &c.

Luce 16

Non docet vt peccata tua excuses & extenues, nec vt merita tua iactes, sed vt dicas, Deus propicius esto mihi peccatori.

Ibidem.

Iam vide tecumq; expende, quò nos primum & breue hoc verbum dirigat, Nempe ad nos ipsos, ad conscientias nostras, imò ad malam vitam nostram. Nam etiam Deum omnesque clamare coguntur fideles, Deus misereatur nostri. Quid nobis faciendum competit tam impiè viuentibus? Si iustus vix saluatur, peccator & impius vbi parebunt? Facile quidem dicere potes, Deus misereatur nostri. Verùm multa hoc verbum in se cõplectitur. Imò nullus verbum hoc rectè & cum fructu profert, nisi peccata sua & miseriam prius funditus agnoscat, sibi ipsi displiceat, de se ipso desperet, à sola misericordia Dei pendeat, peccare desistat, deniq; ad Deum ex toto corde con-

I. Pet. 4

uertatur. Sic orauit Dauid hoc verbunt,  
 Dan. 9 Sic Manasse, Sic Daniel, Sic Publicanus. Et  
 qui hunc affectum & propositum non sen-  
 tit in corde, is frustra vtitur hoc verbo,  
 etiam si ceteris in die nedum versum hunc,  
 verum etiam totum Psalmum replicet. Tunc  
 autem verè efficax oratio, exordiumq; om-  
 nis boni erit, si ex corde processerit. Ha-  
 ctenus quidem, quod & aliàs non semel  
 admonui, nihil nobis ita incommodauit,  
 quam quod nunquam ex animo dicere po-  
 tuimus, Deus misereatur nostri. Cur hoc?  
 Quia de peccatis nostris nunquam ex ani-  
 mo doluimus, nec vnquam fuit animus ea  
 relinquere. Quid igitur prodest verbis di-  
 cere, Deus misereatur nostri? Quomodo  
 misericordiam sperare possumus perpetuo  
 in peccatis, & impia vita permanentes? No-  
 uit quidem Deus ad tempus dissimulare, &  
 parcere. Verum hæc non est misericordia  
 illa, quam Dauid hoc loco petit. Nō enim  
 tantum orat, vt Deus ad tempus parcat, pœ-  
 nāmq; differat, sed vt peccatum relaxet &  
 auferat. Sic igitur exordium hoc Psalmi  
 subindicat, vnde orationes nostras auspica-  
 ri debeamus. Si enim ad benedictionem  
 & illuminationem Dei peruenire cupimus,  
 oportet, vt primò misericordiā quæramus.  
 Misericordiā autem non consequimur,  
 nisi

nisi miseriam nostram confiteamur, & à peccatis desistamus. Hic nos oportet incipere, quantumuis carnali homini durum & contrarium videatur. Peccata nos oportet & agnoscere, & emendare: aliò qui nihil boni nobis expectandum erit, &c.

## Sermo Secundus.



Vperiore sermone primùm ex Psalmo sexagesimo sexto, verbum vt potui explicauì, vbi Dauid orat, & dicit: Deus misereatur nostri, simùlque probaui hoc esse verum cuiuslibet orationis exordium. Oportet enim, vt prius in gratiam Dei recipiamur, si cupimus benedictionis esse participes, quam Deus filiis suis promissit. In alio quodam Psalmo videtur Dauid orationem suam diuerso modo auspicari. Primò enim petit, vt Deus dignetur è cælo respicere, se ipsum signo aliquo manifestare, potentiàmq; suam contra hostes populi sui excitare. Caterùm, statim quasi per correctionem subnectit, Deus conuerte nos, ac si diceret: Quid est, quòd verum ordinē inuerto, ac primò peto, vt Deus se ostendat in signis & miraculis, contra oppressores nostros, cum digni non

Psal. 79

simus, vt nobis tam mirabiliter succurrat, quamdiu in peccatis nostris perseueramus.

Itaq; Domine Deus conuerte nos, hoc est, Da gratiam tuam, vt peccata nostra agnoscamus, da nobis oculos, vt videamus, quoniam fiat, vt omni auxilio tuo destituamur. Da insuper nobis cor, quod odiat peccatum. Da voluntatem à peccatis deinceps cessandi. Da gratiam, vt verè ad te conuertamur. Domine Deus conuerte nos. Et quid sibi hoc verbo aliud vult, quàm quod hìc dicit: Deus misereatur nostri. Alia quidem verba sunt, sed idem sensus. Vbi iterum obseruandum, quòd Dauid vtrinq; in plurali loquitur, hoc est, non de vno aliquo, sed de omnibus. Conuerte nos, Misereatur nostri. Non enim in vnum aliquem vel alterum oculi conijciendi sunt, quasi solus ille vel hic peccarit: quin potius omnes nos in hoc verbo includamus, quemadmodum Scriptura omnes homines sub peccatum conclusit, vt Deus omnium misereatur, eiusq; gratia in omnibus conspicua fiat.

Et hoc tibi vult verbum hoc, Deus misereatur nostri: Vna omnium sit hæc oratio, Vna omnium sit hæc confessio. Noli igitur alios digitis notare, & cum Pharisæo dicere: Deus gratias tibi ago, quòd non sum sicut cæteri hominum, nec sicut hic publicanus.

Lucæ 16

nus. Sed in hunc modum ora, Deus conuer-  
 te nos, Pater dimitte nobis debita nostra, **Matt. 6**  
 Deus misereatur nostri. In hunc modum  
 de omnibus nobis loquitur scriptura. Om-  
 nnes declinauerunt, simul inutiles facti  
 sunt, Non est, qui faciat bonum, ne vnus qui **Pfal. 13**  
 dem, ait Psaltes. Omnes student auaritiæ,  
 dicit Ieremias. A plâta pedis vsq; ad ver- **Iere. 6**  
 ticem capitis non est in nobis sanitas, dicit **Isaia 1**  
 Isaïas. Et iterum: Facti sumus immundi o- **Isaia 64**  
 mnes. Verùm obijciat Pseudochristianus  
 aliquis: Quid opus tot verba in ventū effla-  
 re? Si enim in tantilla hac oratione salus no-  
 stra dependet, bene nobiscum agitur. Quã  
 facile enim dictu est, Deus misereatur no-  
 stri? quẽ graualet tam breuis oratio? Nec  
 vlla dies præterit, quin hæc oratio in Eccle-  
 sia fiat? Si igitur sola hæc precatiuncula suf-  
 ficat, quid opus est alias addere? Audi mi fra-  
 ter: Verè tecū bene ageretur, si Deus nudis  
 verbis contentus esse vellet. Quid autẽ in  
 Euãgelio dicit? Quid vocatis me, Domine, **Luc. 6**  
 Domine, & non facitis quæ dico? Et in alio  
 loco: Non omnis qui dicit mihi, Domine, **Matt. 7**  
 Domine, intrabit in regnū cœlorū, sed qui  
 fecerit voluntatem Patris mei. Plus aliquid  
 ad ingressum regni cœlorū, vel etiam con-  
 sequendã Dei gratiã requiretur, quã nuda  
 verba. Si vis vt Deus tui misereatur, sepone  
 su

superbiam & pompam tuam, remoue à te adulteria & fornicationes tuas. Mentiri, decipere, aliâq; quibus proximum grauas, longè à te sint. Blasphemiam, qua Deum tuum dehonestas. Itemq; turpiloquium in verbis, scurrilitatem in gestibus, quibus proximo offendiculum præbes, imò & aërem ipsum inficis, fuge: si vis, vt credatur tibi quod ex animo misericordiam Dei quæras. Aliòqui non tantum coram Deo, verum etiam coram mundo ridiculus eris, si ore dicas: Deus misereatur nostri, re ipsa in pristinis peccatis perseueras. Imò in dies peior, corruptior, obstinacior efficeris. Verum hîc alius quispiam eiusdem farinae suc clamabit: Quid talia nunc nobis ingeris? Quid opus nobis est oratione? Iamdudum res nostræ melius habere cœperunt. Hostes nostri subacti sunt, Deus nobiscum est, Non est, quod amplius timeamus, Orent, querulentur, pœnitentiam agant alij, quos adhuc mala premunt. Noli frater ita loqui, vide ne Deum de nouo ad vindictam prouoces. Noli aliorum iudex esse temerarius, aut de pœnis, & malis eorum gaudere. Vnusquisque enim Domino suo stat & cadit. Sic autem docet te Dauid orare, Deus misereatur nostri. Tunc etiam opportunum tempus est sic orandi,

cum

Ephes. 5

Rom. 14

cùm videmus alios, qui iuxta nos sunt flagellari. Tunc inquam tempus est, vt fur timeat, cùm videt sui similem suspensio ad iudicari. Quoties enim fur aliquis cruci affigitur, omnibus alijs furibus similis pœna intentatur, nisi furari destiterint. Nec aliud nobis persuadeamus, cum Deus nunc hos, nunc illos punit, iudicioq; suo premit. Putatis inquit Christus, quòd hi soli peccauerint, super quos cecidit turris in Siloa? Non, *Lucæ 13* dico vobis, sed nisi pœnitentiã egeritis, omnes simul peribitis. Hæc ideò tã diffusè tẽmq; seriò dicere volui, quòd videam plerosq; posteaquàm timere dediderunt, seq; ab hostibus securos putant, multò minus de emendatione vitæ cogitare, quàm prius.

Deus misereatur nostri, hoc vnum pio homini residuum est, vt sic dicat, orètque: quandoquidem nemo est, qui in hoc tam pio & planè necessario opere corrigendorum vitiorum sedulam & constantem operam impendat. Hactenus quidem satis de primo verbo: hoc vnum si perfectè cordibus nostris inscribere sciremus,

quæ restant, ex se ipsis sequentur. Verùm procedamus

in Psalmo. Sic igitur

David vterius

orat.

Deus



*Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.*

Tria quædam, imò iuxta translationem nostrâ quatuor petit David in primo hoc versu: quorum posterius maius quid habet, & etiam expressius sonat, quàm præcedens. Nam primò oramus pro misericordia: Secundò, pro benedictione. Tertio pro illuminatione vultus Dei super nos: Quarto, iterum pro misericordia: verùm alia ratione, quàm in exordio. Et de primo quidem audiuius. Nunc secundum accipiamus, & quid sibi velit benedictio Dei inuestigemus. Nec quisquam tædio afficiatur, quòd tam lætè in expositione huius Psalmi progredior. tamque diu primo huic versui inhæreo, digna enim sunt omnia eius verba, quæ ad vitium excutiantur. Deus (inquit) benedicat nos. hic est verus ordo. Tunc enim fiducialiter Dei benedictionem petere possumus, cum prius ex corde pro misericordia & remissione peccatorum orauimus. Quemadmodum autem iuxta primum verbum dixi, ita & circa hoc secundum dico, facillè quidem dictu est. Deus benedicat nobis. Multa enim hæc benedictio includit, imò longè plura, quàm vel ipsum

verbum præ se ferat, vel simpliciores, quiq;  
 vel cogitent vel credât. His enim videtur,  
 quòd benedicere nihil magni adferat, quan-  
 doquidem benedicere apud nos nihil aliud  
 est, quàm bene de aliquo loqui, & bona pre-  
 cari. Hoc autem apud nos solis & nudis  
 verbis fit. Bona quidem alijs precari sci-  
 mus, at non semper dare possumus, quod  
 optamus. Nam benedicere nostrum, nihil  
 magnum est, quandoquidē & Publicani &  
 Ethnici sibi mutuò bona precari possunt. Matt. 5  
 Multò autem aliud est, vbi Deus benedi-  
 cit, eius enim benedictio, non verbis tan-  
 tum & precatione fit, sed eius benedicere,  
 est benefacere: quemadmodū eius dicere,  
 est eius facere. Verbum enim eius est vi- 101. 111  
 uum & efficax, & penetrabilius omni gla- Heb. 4  
 dio ancipiti. Vnde & David: Ipse inquit di- Psal. 32  
 xit & facta sunt: ipse mādauit & creata sunt.  
 Et Moses: Dixit Deus, fiat lux, & facta est Genes. 1  
 lux. Dixit, fiat firmamentum, & factum est,  
 &c. Sic & quem Deus benedicit, huic cer-  
 tō benefacit. Id quod in Abrahamo aper- Gene. 12  
 tissimè videmus: Benedicam (inquit) te. sta-  
 tímque subdit qualis futura erat ea benedi-  
 ctio, magnificabo nomen tuum, multipli-  
 cabo semen tuū, sicut stellas cœli. Faciam  
 te in gentem magnam: tibiq; & semini tuo  
 dabo terram hanc. Ideò magna differen-  
 tia

tia est inter benedicere Dei, & nostrum. Cùm enim ipse nos benedicit, crescimus, itēdem & nos cùm ipsum benedicimus, crescimus. Ipse quidē benedictionis nostræ non indiget, nos autem benedictione eius carere non possumus. Ipse nostra benedictione nec melius, nec maledictione nostra deterius habet. Qui enim Deo maledicit, sibi ipsi nocet. Qui Deū benedicit, seipsum commodo afficit, Tunc nos eum benedicimus, cùm eū laudamus, & gratias agimus.

Tunc autē ipse benedicit nobis, cùm benefacit. Vtrunq; ad nostrā vtilitatē cedit: Deo nihil ex nostra benedictione accrescit. Ipsi peribunt, tu autē permanebis. Cæterum nō possumus Deū benedicere & laudare, atq; gratias agere, nisi ipse prior benedicat nos. Imò ideò nos benedicit, vt eū iterū benedicamus' & laudemus. Hūc fructum in nobis querit. Illud quidē est pluuia (dicit Augustinus) hoc autē fructus. Quò largiūs igitur pluuia diuinorum beneficiorū supernē nobis infunditur, eò abundantius fructus diuinæ laudis in nobis succrescunt & augētur. Quò benigniūs Deus benedictionē suam nobis immittit, eò feruentius maiorique cū animi hilaritate nos ei laudes gratiarūmq; actiones referimus. Obseruandū autem, quòd non vnius generis sunt benedictiones

nes Dei. Benedicit enim Deus, & temporaliter & corporaliter, & spiritualiter. De temporalibus benedictione dicit Salomon: **Be Pro. 10**  
 neditio Domini diuites facit. Et Dauid **Pfal. 111**  
 de homine iusto: Gloria & diuitiæ in domo eius: potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur. Et Moyses: **Deut. 28**  
 Si in præceptis Dei ambulaueris, & mandata eius custodieris, benedictus eris in ciuitate, benedictus in agro, benedictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuæ, fructusque iumentorum tuorum. Benedicta horrea tua, & benedictæ reliquiæ tuæ, &c. **Hoc 2. Reg. 6**  
 modo etiam Deus domum Obed edom benedixisse legitur. De eadem benedictione etiã Dauid loquitur, cum de Deo dicit: **Pfal. 144**  
 Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Ad corporalem benedictionem pertinet illud, quod Moyses semel atque iterum in prima rerum creatione ponit: Benedixit (inquit) illis Deus & dixit: Crescite & multiplicamini. Itẽ quod **Genes. 1**  
 Dauid de viro pio dicit: Ecce sic benedicetur homo, qui timet Dominum, nempe **Pfal. 129**  
 quod labores manuum suarum manducabit, filiosque sicut nouellas oliuarum in circuitu mensæ suæ videbit. Eodẽ pertinet, **Pfal. 127**  
 quod Moyses ait: Si in præceptis Dei ambulaueris, auferet à te Dominus omnem **Deut. 28**  
 plagam

K

Ephes. 1

plagam Aegypti, &c. De spirituali autem benedictione ita scribit Paulus: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi: qui benedixit nos in omni spirituali benedictione in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi cōstitutionem, in quo habemus redemptionem in sanguine eius, nempe remissionem peccatorum secundum diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis. Hæc est benedictio Dei spiritualis. De qua & Abrahamo di-

Gene. 22

cebatur: In semine tuo benedicentur omnes tribus terræ. Hanc benedictionem spiritualem hîc petit Dauid, quamuis etiã alia dona Dei sint, sed talia dona, quæ etiã malis & impijs dat. Non enim soli boni temporalia bona, sanitatem corporis, vxores fecundas, filiorum copiam, &c. habent verum etiam mali & impij, licet non semper. Vult enim Deus hæc externa temporalia & corporalia dona permista habere. Dat ea pijs & impijs, aufert etiam ea pijs & impijs. Idem autem ea permista esse vult (inquit Augustinus) quia si solis bonis ea daret: cogitare possent impij, quod etiam ipsos oporteret pro solis temporalibus Deo seruire. Ediuerso, si solis malis talia bona daret, fieri posset, vt etiam boni in studio pietatis languescerent, ne scilicet huiusmodi

di bonis destituerentur. Ad eundem modum, si solis malis temporalia hæc auferrentur, sibi ipsis persuasuri essent, se iam in amissione temporalium omnē aliam pœnam euasisse, nec quicquam illis amplius timendum esse. Quòd si solis bonis auferrentur, possent iterum tardiores fieri ad pietatem, quasi frustra laboraturi. Ob hanc igitur causam Deus temporalia hæc bona ita permiscet. Bonis ea dat, ut sit, quo se ipsos in peregrinatione sua consolentur, *Roma. 2*  
ne omnino deficient. Malis ea dat, ut ea beneficentia ipsos ad pœnitentiam prouocet, & ut pij eò diligentius spiritualia & æterna bona quærant, quæ cum malis non habent communia. Ad eundem modum aliquando pijs aufert temporalia, ut probentur, an cum sancto Iob dicere possint: Dominus dedit, Dominus abstulit. *Iob 1 2*

Item: Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus? Sic & malis aliquando aufert temporalia, ut etiam in hac vita iram Dei sentiant. *Iob 2*

Quandoquidem igitur Deus solus etiam hæc externa & temporalia dat & aufert, non incongruè benedictio eius nominatur, cum ea dat: Maledictio autem, cum ea aufert, quamuis propriè loquendo, solis pijs benedictio Domini *Roma. 9*

fit, illis enim omnia cooperantur in bonum. Impiis autem etiã ea, quę bona sunt, plerunq; cedunt in malum. E diuersò solis impiis maledictio est, cùm Deus eis temporalia aufert. Bonis autem non est maledictio, quia maiora adhuc bona à Deo habēt & meliora. Eorum benedictio est spiritualis, & eam potissimùm quærunt. Hac enim spirituali benedictione solos amicos benedicit. Et de hac benedictione vel maximè loquitur Dauid hoc loco, quòd vel hinc colligitur, quòd non tantùm benedictionem, verùm etiã illuminationem vultus Dei petit. Nihilo secius tamen possumus hanc Dei benedictionē, etiã ad temporalia & corporalia bona referre. Nam & ipsa Deus dat, vt sunt pax, securitas, sanitas, prosperitas, copia victualium, frugifera tempora, &c. Sic etiã Scriptura frequenter de benedictione Dei loquitur, vt etiã suprà memoratum est. Sicut enim & Dauid ait: Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ. Et rege eos vsq; in seculum. Et Isaac ad Esau: In rore cœli & pinguedine terræ erit benedictio tua. Ad eum modum possumus etiã hanc Dauidis preceationem intelligere, Deus benedicat nobis, hoc est, dignetur à nobis auferre omnes illas maledictiones, quas in lege

Pfal. 28

Gene. 27

qu  
illa  
fed

in lege impijs comminatus est, Ediuersò autem omnibus illis benedictionibus exhilarare, quas in eadem pijs pollicitus est.

En omnia hæc in se comprehendit, quod Dauid dicit: Deus benedicat nobis. Quid autem & nobis & Ecclesiæ sanctæ Dei melius facere possemus, quàm sic orare? Itaque verbum hoc hodie cordi inscribamus, Oremus pro benedictione Dei, ita tamen, vt quemadmodum dixi præcedentium verborum non obliuiscamur. Nisi enim priùs misericordiam & gratiam consequuti fuerimus, ad veram benedictionem peruenire non possumus. Imò quàm diu in peccatis manserimus, externa illa benedictio nihil aliud nobis erit, quàm vera maledictio, vt & suprà indicatum est. Hactenus igitur de benedictione externa.

## Sermo Tertius.



**I**N Psalmo Sexagesimosexto ita nos orare docuit Sanctus Dauid, Deus misereatur nostri, & benedicat nobis. Circa quæ verba etiã paucis ostēdi quid sit, & quatenus se extendat benedictio illa dei. Itēmq; quod non in nudis verbis, sed omnigenis beneficijs cōstet. Quot enim



modis homini bona obuenire possunt, tot modis etiam Deus nobis benedicit. Quatuor autē modis homini bona contingūt, in corpore, in rebus externis, in anima, & in æterna beatitudine. Itaq; etiam benedictio quadruplex est, quod & superiori sermone subindicaui. Necessē est autē vt in his benedictionibus à Deo petendis verum ordinem seruemus. Spiritualia & æterna

**Matt. 6** prius quærenda sunt, quàm temporalia & corporalia: Primum (inquit) quærite regnū Dei, & iustitiā eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Nam temporalia, & corporalia bona etiā malis dantur, verū ita vt in spiritualibus, & æternis partem nullam habeāt, id quod in Abrahā præostensum fuit, qui filijs cōcubinarum dedit munera, filio autem suo Isaac reseruauit hæreditatem.

**Gen. 25** Item Abraham ancillæ filium domo eiecit, solum autem Isaac secū retinuit. E diuerso Deus aliquādo etiam filijs suis temporalia & corporalia aufert, eos in variis tribulationes cōijcit, premit inopia, affligit cruce, variisq; morbis & incōmodis. Interim tamē spiritualibus, & cœlestibus bonis quā cumulatissimē eos perfundit. Id quod pulchrè videtur in Lazaro illo mēdico, quo nihil miserius erat corā mūdo, siue corpus, siue temporalia spectares. Interim tamen

coram

coram Deo tantus tamq; diues erat, vt mo- Lucæ 16.  
 riens etiam ab Angelis portaretur in sinū  
 Abrahamæ. Eodem modo & Petrus & Ioan- Act. 3  
 nes adeò nihil temporalium bonorū habe-  
 bant, vt Petrus audenter diceret: Argentum  
 & aurum nō est mihi. Interim tamen bo-  
 nis spiritualibus ita abundabat, vt diceret:  
 Quod autē habeo, hoc tibi do, In nomine  
 Iesu Christi surge, & ambula. Ad eum mo- 2. Cor. 6.  
 dum etiā Paulus de se alijsq; credentibus  
 dicit, Videmur quasi nihil habentes, & ta-  
 men omnia possidentes, quasi egentes, sed  
 interim multos locupletātes, &c. Hæc autē  
 Pauli verba diuus Augustinus in expositio-  
 ne, admodū pulchrè extendit: Quid differs  
 (inquit) conuersionē tuam o homo? Quid  
 times miser hæc temporalia relinquere, si  
 bonus es? Suo certè tēpore ea relinquo o-  
 portet, etiā si malus maneat. Si bene & piè  
 viuens ea perdis, en is per se ipsum te cōso-  
 lari dignabitur, qui ea tibi abstulit. Si arca  
 tua auro vacua est, at cor tuū plenū est fide.  
 Foris pauper es, at intus diues. Thesaurum  
 & diuitias tuas tecū portas, etiam si è nau-  
 fragio nudus euaderes. Multò autē aliter  
 se res habet cū impijs. Hi enim cū tempo-  
 ralia amittūt, duplex damnū patiuntur. Nā  
 simul & domus & cōscientiæ eorū à bonis  
 vacuæ manent. Externè nihil habent, quo

inopiam suam subleuent, internè illis deest, in quo requiescant. Et cur hoc? Quia

**Pro. 6** in ætate non collegerunt, aut importarūt escas, exemplo formicarū, ad quas eos Salomon remittit. Tunc autem ætatem esse tibi persuadeas, dum sanus es, dum omnia prosperè tecum aguntur, dum tempus & otium habes, dum diuitem & felicem te sentis. Hic tibi laborandum est, cibiq; spirituales importādi, vt etiam in hyeme, hoc est, cū aduersa ingruūt, cū morbi corpus occupāt, cū vxor & filij alijq; necessarij moriuntur, nihilq; externæ consolationis vsquam videtur, &c. à fame securus sis. At nihil horum cogitant aut agunt mūdani: persuadent enim sibijpsis, semper duraturam ætatem, hoc est, temporalem prosperitatem: putant enim se iam fœdus pepegisse cum morte, & inferno, dicuntq;: Non veniet super nos malum. Longè aliter agit pius quisq; in ætate, hoc est, dum tempus, & fortuna arrident, præparat sibi cibos in futuram hyemem, hoc est, tempus aduersitatis, adit Ecclesiam, audit verbum Dei, orationi incumbit, laudibus Dei insistit, secum cogitat & ruminat, quod è scripturis audit, idque cordi inscribit, &c. Hoc enim est exemplo formicarū in ætate importare escas. Quod si hyems, hoc est, tēpus ad

pus aduersitatis inciderit, statim recurrit ad id, quod importauerat, quod legerat, quod audierat, illic suam inuenit consolationē, & cum alij eum iudicant miserum, & ab omnibus derelictum, ipse internè bonorum spiritualiū dulcedine fruitur, &c. Hoc itaq; est, quod Paulus de credentibus dicit: Quasi tristes, semper autē gaudentes, &c.

2. Cor. 6

Non igitur satis est vt temporalia quæramus, nec satis nobis esse debet, cum ea habemus. Ea enim benedictio non semper manet. Deus enim temporalia & dat, & aufert. Id quod in Iob videmus. Spiritualia igitur quæramus, quæ manēt, etiam si temporalia pereunt. Hæc Augustinus tot verbis, verum non inanibus in hunc Psalmum scripsit. Atque hoc id ipsum est, quod in Dauide nunc sequitur.

Iob 1

*Illuminet vultum suum super nos.*

Hic vides, quod etiam Dauid non quancunque benedictionem à Deo petit, verum adiectione huius verbi, nō obscure subindicat, qualem benedictionem velit, ne quis suspicetur eum solam benedictionē temporalem desiderasse, vt ipse oblitus spiritualium bonorum, ad sola temporalia animum intēderet: id quod Christiano homini minimè omnium cōpetit. Nostra enim

K 5 spes

- spes nō in terrenis & visibilibus, sed in spiritalibus, & æternis bonis sita est: Nolite  
 Matt. 6 ( inquit Christus ) thesaurizare super terram, Thesaurizate autem in cœlis. Spes  
 Roma. 8 enim quæ videtur, non est spes. Et Paulus  
 1. Cor. 4 ait: Et quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Vis igitur scire quibusnam rebus præter temporalia illa opus habeamus? Ut Deus illuminet vultum suum super nos. Hæc est benedictio illa, qua Deus solos bonos, solos amicos perfundit. Hæc magni nobis æstimari debet. Ad hanc enim ne comparari quidem meretur quicquid est, quod Deus malis dat  
 Ps. 143 quantumvis magnum, ac speriosum appareat. Beatum dixerunt populum, cui hæc,  
 Matt. 5 hoc est, tēporalia adsunt. Quia enim Deus naturā bonus est, solem suū oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniquos, datq; omnibus affluenter, & nulli improperat. Imò omne animal implet benedictione. Quin & lumen vultus sui etiā super pecora illuminat. nam & ipsa vident  
 Ps. 103 lucem huius mundi. Beati autem mundo corde, nam hi soli Deū videbunt. Et beatus  
 Matt. 5 populus, cuius est Dominus Deus eius.  
 Ps. 143 Et beati omnes, quos Deus oculo gratiæ suæ respexerit. Hoc quærebat David. Hoc est lumen diuini vultus, ad quod respicere  
 impij

impij non possunt: Tollatur impius (ait  
 Isaias) ne videat gloriam Dei. At dicis:  
 An non habemus lumen naturæ, rationem  
 videlicet & intellectum, Quemadmodum  
 David ait: Signatum est super nos lumen  
 vultus tui. Et Paulus etiam de gentilibus  
 & Idololatriis: Quod notum est Dei, mani-  
 festum est in illis. Deus enim illis manife-  
 stavit, adeò vt etiam lumine naturæ citra  
 aliquam vltiorem illuminationē ex ipsa  
 creatura, perq; ea quæ facta sunt, inuisibi-  
 lia Dei, hoc est, ipsius sempiternā virtutem  
 & diuinitatē cognoscere potuissent. Quid  
 igitur necesse est vltiorem lucem & illu-  
 minationem à Deo petere? Ad hoc respon-  
 deo, Certum quidem est, quòd homini in  
 prima creatione lumen quoddam inditum  
 est, & tale, quod nulla alia visibilis creatura  
 habet, per quod etiam multò lōgius videt,  
 quàm aliæ creaturæ terrestres. Cæterum  
 per originale peccatū hoc lumen adeò te-  
 nebris obductum est, indiésq; per actualia  
 peccata magis, & magis obscuratur, vt ad-  
 modum paruum fit, & penè nihil videat in  
 rebus diuinis. Frequenter enim bonū esse  
 iudicat, quod malum est. Et quod malum  
 est, iudicat bonum: quod amarum est, dul-  
 ce: quod dulce, amarum: tenebras iudicat  
 esse lucem, & lucem tenebras; amat & am-  
 plect

Isa. 26

Psal. 41

Rom. 1

Isa. 5

- plectitur quod malū est: fugit & odit quod bonum est. Ideò pius homo, lumen iuxta hoc lumen, quod ita fallit, aliud lumē querit, idq; de super, dicitque cum Davide: Dominus illuminatio mea, & salus mea. Et iterum: Illustra faciem tuam super seruum tuum. Et iterum: Tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. Et iterū: Illumina oculos meos, ne vnquā obdormiam in morte. Et cum Michea: Cum sedero in tenebris, Dominus lux mea est. Et cum Sapiente, da mihi Domine sedium tuarum assistricem sapientiam, vt mecum sit, & mecum laboret, &c.

Hoc lumē etiam Dauid hīc petit cū dicit: Illuminet Deus vultū suum super nos.

Quòd autem nō simpliciter dicit: Deus det nobis lumen suum, aut illuminet nos, sed illuminet vultum suum super nos, non intelligendum est, quasi facies aut vultus Dei non semper luceat, aut quòd orationibus nostris hoc efficere possimus nequaquā. Non oramus pro Deo, sed pro nobis. nec dicimus: Domine illumina vultum tuum. sed addimus, Super nos, vt sit sensus huius verbi: Dominus illustret nos vultu suo splendorēq; lucis suæ, faciēque suam ad nos vertat, vt & nos per splendorē vultus sui illuminemur. Quemadmodū enim  
sol cū

Sol cum in ortu suo radios suos diffundit, etiam nos illuminat, ut videamus, qui prius in nocte & meris tenebris eramus, Ita & diuinus ille splendor, & lumen vultus Dei nos illuminat. Quãdiu enim nihil nisi naturæ lumē habemus, certò in tenebris ambulamus, somnia & opiniones nostras sequimur, non veritatem, contendimus esse, quod non est, erramus tū vel maximè, cum recta via nos incedere putamus. Ratio enim nostra, vbi nimium ei tribuimus, sæpe nos abducit à regia via in magnos, & pudentes errores, quemadmodum in plerisque doctissimis viris Ecclesia Catholica ante nos vidit. Et nos etiam nunc videmus.

Hos enim nihil aliud fefellit, quàm quòd rationi propriæq; imaginationi plus crediderunt, quàm verbo Dei. Vbi autem lux illa diuina desuper infunditur, illic videt homo, quod prius non videbat, imò videt rationem suã, si sola sit, in rebus diuinis meras tenebras esse. Hic cogimur dicere quod paganus ille Socrates dicebat: Hoc tantum scio, quod nescio. Quin & Paulus etiam post perceptam lucem illam diuinam nihil se arbitrabatur scire, nisi Iesum crucifixū.

Imò si lumen illud cœleste desideras, necesse est, ut lumini rationis tuæ diffidas: Qui vult (inquit) sapiens esse, stultus fiat ut

1. Cor. 2

1. Co. 3

fit sap



- fit sapiens. Et quid multis opus est? Qui lumen illud cœleste desiderat, is rationem & intellectum suum captiuare studeat in obsequium Christi: Ratio enim nostra in diuinis ex se sola nihil agit, nisi lumen vultus Dei infundatur desuper. Illuminet (inquit) vultum suum super nos. Quod est autem lumen illud vultus Domini (nam hoc solum quaerit & petit Dauid) nisi Christus Iesus Dominus noster: quē Paulus nominat splendorē gloriæ Dei, & figuram substantiæ eius: Et qui cādor est lucis æternæ speculūque sine macula? Hæc est vera illa lux, quæ illuminat omnem hominē venientem in hunc mundum. Vnde & de se ipso dicit: Ego sum lux mūdi. Qui sequitur me, nō ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ. Et iterum: Qui videt me, videt & patrem meū. De hoc lumine etiam Prophetæ vaticinati sunt. Sic enim in Malachia legimus, Vobis autem timentibus Deū orientur sol iustitiæ. Et in Isaia: Habitantibus in regione vmbrae mortis, lux orta est eis. Et in Dauide: Domine in lumine vultus tui ambulabunt. Et iterum: Da mihi intellectum & scrutabor legem tuā, & exquiram eam semper. Quod si quaeras, ob quā causam Christus lumen dicatur, & quomodo illuminet? Responso in promptu est, quod
- per Spir

per spiritum sanctum hoc facit: Ipse inquit Ioan. 14  
docebit vos omnia. Et iterum: Ipse me cla Ioan. 16  
rificabit, testimoniūmq; perhibebit de me.

Pro hoc lumine Dauid etiam in alio lo-  
co suspirat: Spiritū sanctum (inquit) tuum Psal. 50  
ne auferas à me. Hoc igitur lumen vultus  
Dei, nempe gratiam & illuminationē per  
Christum, Dauid hīc petit: An non autem  
tibi videtur, quòd etiā hęc oratio hoc tem-  
pore necessaria sit? Quid enim sumus, quid  
scimus? Quid possumus citra gratiam, &  
illuminationem Spiritus sancti? Illuminet  
igitur pijsimus Deus hunc vultum, aut po-  
tius faciem suam super nos (quæ Christus  
est) vel ipso teste, cum dicit: Qui videt me, Ioan. 14  
videt & Patrem meum. Cæterum, quod  
in fine repetitur verbum illud, Et miserea-  
tur nostri. in Hebræo quidem (vt & suprā  
dixi) non habetur: Non tamen temerè &  
sine causa in translatione nostra adiunctum  
est. Non enim ex meritis nostris, sed ex  
sola gratia est, quòd Deus nobis remittit  
peccata, quòd benedicit, quòd lumen vul-  
tus sui nobis manifestat in Christo. Om-  
nia hæc soli gratiæ Dei ascribēda sunt. Et  
ob eam causam tam in exordio, quàm in  
fine huius primi versus misericordiæ Dei  
mentio fit. Faxit Deus, vt ab eadem nun-  
quam excidamus, Amen.

## Sermo Quartus.



Rimum huius Psalmi versiculum præcedentibus tribus sermonibus ut cunque explicavi, causam assignando, cur David primò omnium misericordiam petat, & petere doceat, deinde quid sibi velit eo verbo quo dicit: Deus benedicat nobis. postremò quid etiã tertium verbum in se contineat, quo dicit: Illuminet vultum suum super nos. Duobus enim modis verbũ hoc intelligi potest. Primò, ut sit sensus, Illuminet vultum suum super nos, hoc est, aperiat nobis oculos, mētēque nostram illustret, ut videamus imaginem eius in nobis, quasi diceret: Domine impressisti nobis vultum tuum, fecisti nos ad imaginē tuam, quę quidē in multis hominibus per peccatũ obfuscata est. Pauci etiam sunt, qui hanc Dei imaginem in se ipsis agnoscant. Indignum autē est, ut tua imago in tenebris delitescat, ut nec videi nec agnosci possit. Itaq; ò Domine Deus emitte super nos radium sapientiæ tuę, depelle à nobis tenebras nostras, ut imago tua in nobis fulgeat, & ut agnoscamus nos ad imaginē tuam factos. Tu enim es, qui  
 illumin

illuminas lucernas nostras, O Deus noster Psal. 17  
 illumina tenebras nostras. Si imago tua,  
 quod ingenuè fatemur, in nobis deturpata  
 est, vt eam non exprimamus, quemadmo-  
 dum probos & minimè degeneres filios  
 decet, tu eam per gratiam & Spiritum tuum  
 restituere digneris, &c. In hunc modum  
 diuus Augustinus verbum hoc intellexit, &  
 exposuit, & quidem satis piè, quanquam, vt  
 in præcedenti sermone dixi, ab alijs intelli-  
 gatur de lumine illo, quod illuminat om-  
 nem hominem per aduentū suum in hunc  
 mundum. At dicet quispiam: Quid nobis Ioan. 1  
 hoc lumine opus est? An non sol externus  
 hoc præstat, vt omnia videamus? An non  
 acutum cernit homo? Quid enim tam ab-  
 strusum, tam subtile in rebus externis, quòd  
 non indagauerit & inuenerit ratio huma-  
 na? Eaq; indies noua & nunquam visa in lu-  
 cem profert tanto acumine & subtilitate,  
 vt nemo satis mirari possit tantum lucis ra-  
 tioni humanæ iudicium esse. Quid igitur  
 opus est aliud lumen è cælis querere? Audi  
 quid Dauid vltèrius dicat.

*Vt cognoscamus in terra viam tuam, in  
 omnibus gentibus salutare tuum.*

Ad hoc (inquam) egemus lumine vultus  
 Dei, vt & via & salutare Dei in omni terra,

L & in

& in omnibus gentibus cognoscantur. Terra enim extra cognitionem Dei plena est tenebris, & cæcitate. Et cum David hæc diceret: Deus in sola Iudæa, & apud Iudæos notus erat. Cæterùm, pio homini satis non erat, quòd ipse cum populo suo viam & salutare Dei videbant, & cognoscebant, sed optabat & orabat vt eadem etiam omnes homines in omni terra viderent & cognoscerent. Atq; hîc vides, quàm multò aliter affectus fuerit sanctus David, quàm nunc nostri Iudæi sunt, qui sibi solis Deum vendicant, nobis inuident, & indignos putant, vt cum ipsis viam & salutare Dei cognoscamus, maluntq; perire, quàm nos in communiõnem tantorum bonorum recipere, datâq; opera extra viam currunt, ne nos viæ comites habere cogantur, malunt denique oculos claudere, vt salutare Dei non videant, quàm pati, vt nos ea gratia fruamur.

At non sic agit pius David: Imò orat & petit, vt via & salutare Dei vbiq; & ab omnibus etiam gentibus cognoscatur, id quod certè piæ mentis indicium est, quemadmodum & alijs inuidere salutem, maxime impietatis nota est. Nec te moueat, quòd hîc idem David aliq; Prophetæ & pii homines aliquando contra gentes orasse leguntur, vt exterminarentur, & perirent. Sic  
David

Dauid alicubi orat: Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt: & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Ad eundem modum orabat & sancta illa Iudith contra Holofernem & Assyrios: Erige Domine brachium tuum, sicut ab initio: & allide virtutem illorum in virtute tua: Cadat virtus eorum in iracundia tua, &c. Similia his multa inuenies in Scriptura sacra, quæ tamen, vt dixi, te mouere non debent.

Non enim sancti ex vindictæ cupiditate sic orarunt, sed vt blasphemijs impijsq; factis eorum finis imponeretur, quandoquidem ipsi in animum non inducerent à talibus desistere. Hic autem Dauid longè aliter orat, nempe vt etiam gentes Deum salutarèq; eius cognoscant ad suam ipsorum salutem. Videamus igitur, quænam sit Dei via, & quod salutare eius. Nemo enim dubitare potest, quin magnum quid in his duobus situm sit, quandoquidem Dauid ea de causa lumen è cælo petit, vt mundus hæc cognoscere possit. Et reuera sic est. Nam mundus cum omni ratione sua neutrum ex his vel videre, vel indagare potest. Nescierunt (inquit Dauid) non intellexerunt, in tenebris ambulant. Obserua autem, quòd hic Metaphora illa vitur, quæ admodum frequens est in Scripturis,

vt per viam intelligatur certum cuiusque  
 consilium, & propositum hoc, vel illud fa-  
 ciendi, sic vel sic viuēdi, in hoc vel illo per-  
 seuerandi. Quicquid igitur homo ita apud  
 se cogitat, proponit, agit, perficit, via eius  
 dicitur in Scripturis. Hinc nimirum simi-  
 litudine sumpta, quòd sicut quis viam in-  
 gressus, quæ sibi bona videtur, & qua id,  
 quod quærit se adepturum sperat, constan-  
 ter pergit, nec facillè se auocari patitur, do-  
 nec ad locum destinatum veniat: ita & ho-  
 mo quicquid apud se cogitat, proponit, pro  
 bono ducit, hoc exequitur, illucq; omnes  
 suos cogitatus, verba, & opera dirigit: nec  
 cessat, aut auelli se patitur, donec quod que-  
 rit, consequatur. Et quemadmodum super  
 terram peregrinantibus multæ viæ occur-  
 runt, quarum hæc quidem lata & spaciofa,  
 illa autem angusta est, nec ad vnum locum  
 omnes tendunt: ita & variæ dissimilésque  
 sunt hominum cogitationes, proposita, con-  
 silia, verba & opera. Habent enim impij  
 viam suam, in qua ambulant, quæ nihil  
 aliud est, quàm eorum cogitationes, consi-  
 lia proposita, conatus, verba, & opera, qui-  
 bus occupantur. Atq; hæc est via impio-  
 rum, de qua Dauid: Beatus vir, qui non abiit  
 in consilio impiorum, & in via peccatorum  
 non stetit, & in cathedra derisorum non  
 sedit.

Psal. 9

sedit. Et in fine Psalmi: Iter impiorū peribit, hoc est, Et vita eorum, & quicquid agunt, aut instituunt, in interitum ibit. De hac via peccatorum passim fit mentio in scripturis. Sic enim & Dauid in alio loco dicit: Contritio & infelicitas in vijs eorum.

Psal. 13

Et Hieremias: Quam vilis facta es iterans vias tuas! Et sapiens in persona impiorum: Lassati sumus in via iniquitatis.

Hier. 2

Sap. 5

Deinde etiam pij habent vias suas, hoc est, consilia, cogitationes, conatus, verba & opera, verum longè ab impiorum consilijs & operibus diuersa: Impiorum enim viam nominat Scriptura, viam iniquitatis, & viam mortis: piorum autem via dicitur via mandatorum Dei, via vitæ, via iustitiæ, via veritatis. De hac piorum via in Dauide multa legimus, vt cum dicit: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Et iterum: Nouit Dominus viam iustorum, hoc

Psal. 118

Ibidem.

est, sicut ipsos nouit & fouet: ita & omnis eorum vita, & actiones illi placent. Prætereà, in Scriptura sacra etiam legimus de vijs Domini, quæ nihil aliud sunt, quam ipsius propositum, ipsius consilia, decreta, cogitationes & opera. Sic in Isaia dicit:

Psal. 11

Isai. 55

Non sunt viæ meæ, viæ vestræ, &c. Et in Ezechiele: An non sunt æquæ viæ meæ, & non magis viæ vestræ prauæ sunt? Et in Da-

Ezec. 18

Psal. 24



uide: Omnes viæ Domini, misericordia & veritas. In hunc modû etiam hîc per viam Domini nihil aliud intelligere debemus, quàm ipsius voluntatē, beneplacitû, præcepta, consilia & opera. Sensus igitur verbi huius est, O Domine Deus, quâ multæ viæ in mundo sunt, habēt enim impij viā suam: quæ tamen nihil aliud est, quàm tenebræ & non lux, habēt pij viam suā, habent hæretici vias suas, habent auari, ambitiosi, luxuriosi, vias suas, & vt semel omnia dicā, habent omnes homines suas proprias vias, consilia, adinuēctiones, & cuilibet videtur sua via optima & certissima esse, cùm tamen nulli earū tutò se quis cōmittere possit. Tu itaq; illumina vultû tuum super nos, vt cognoscamus viam tuam, quæ ducit ad te, viam, quam nos ambulare iussisti, vt non eamus per vias tenebrosas peccatorum, quæ ducūt ad perditionem. Cæterum, quæ sit certissima illa via Dei, ex Euangelio discimus, vbi Christus ait: Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad patrē, nisi per me. Item: Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur. In hac via non corporalibus, sed spiritualibus gressibus nos incedere oportet, fide scilicet in Deum, & charitate in proximū. Hæc est via Domini: ambulate in ea, dicit Isaias. Tunc itaq; cognoscimus viam

Pro. 4

Ioan. 14

Ioan. 10

saie 30

viam Domini, cum Deus secundū bonitatem suā nos dirigit in veritate sua, hoc est, cum in fide incedimus, ex fide viuimus, vitam Deo dignā agimus, omnia ex sincera fide citra omnem simulationem facimus, & in omnibus cogitationibus, consilijs, conatibus, operibus, nihil aliud, quā Deum quærimus. Hoc est cognoscere viam Domini. Hoc petit Dauid, nō pro se tantum, sed pro omnibus hominibus: O Domine (inquit) da lumen tuum, vt videamus, quod omnes viæ nostræ nihil sunt, imò ducūt ad mortem. Da, vt cognoscamus tuam viam, & in ea ambulemus, vt te tuamq; voluntatem cognoscamus & amplectamur, & impleamus, tuæ inspirationi, consilio, verbo locū demus, & non inspirationi Dæmonum, mundi, & carnis. Vt cognoscamus viam tuam in terra, quemadmodum cognoscitur in cælis, vbi tu solus es omnia in omnibus. 1. Cor. 15

Hoc igitur vnum est, quod Dauid in hoc versiculo petit, & petere nos docet. Alterū est, quod statim subnectit, in omnibus gentibus salutare tuū. Hoc autē idem est cum eo, quod præcedit, verūm aliquantō expressius rem ipsam explicat. Christus enim & via & salus nostra est. hinc Simeō ille Euan- Lucæ 2  
gelicus ipsum in vlnis suis gestans: Viderūt Isaia 49  
(inquit) oculi mei salutare tuum. Et Deus

ipse, Posui te in lucem gentium, vt sis salus mea, vsq; ad extremum terræ. Qui igitur viam Domini cognoscere cupit, Christum apprehendat. Qui enim Christum non cognoscit, is nec salutem nec viam ad Deum videt. Ideò Dauid vtrunq; connectit, petitq; vt hæc via & salus Dei, non in terra solum, sed in omnibus gentibus cognoscatur.

Vbi iterum videmus veram Charitatem, imò latitudinem charitatis, quæ se extendit ad omnes homines, in omnes fines terræ.

Ipsi quidem Dauidi, & via & salutare Dei manifestata fuerant, verùm propria salute non contentus, optabat vt alij quoque homines hoc ipsum, quod ipse viderat, videre possent. Et quid melius magisq; necessarium etiam nos optare, petere, & orare possemus, quàm vt omnes homines viam et salutare Dei cognoscerent: per hoc enim nobis vndiquaq; consultum omniâq; sublata essent, quæ nos hæctenus erga inuicem exacerbarunt, & tantum non in mutuas cædes incitarunt. Non enim aliam video causam huius tantæ tamq; diutinæ inter nos dissensionis, & discordiæ, quàm quòd non omnes cognoscimus viam & salutare Dei. Nemo quidem non videtur sibi & viam & salutare Dei egregiè cognoscere: plerunq; autem nos ipsos fallimus. Si enim  
omnes

omnes viam Domini cognosceremus, non tantum impietatis, iniustitiæ, & turpitudinis, imò nihil eorum, de quibus Paulus Gal. 5. & 2. Timo. 3. conspiceretur. Quod si etiam omnes homines salutare Dei, hoc est, Christum agnoscerent, non tot erroribus, superstitionibus, abusibus sordidatam videremus Ecclesiam. Imò si omnes Christum agnoscerent, nullus iam vel Iudæus vel hæreticus esset, sed vnum ouile, & vnus pastor. Itémq; vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus, & Pater omnium, qui esset super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. An non autem Ecclesiæ optimè consultum esset, si hæc nostro tempore contingerent? Homines quidem suis consilijs hoc nunquam efficient. Eò fortius igitur cū Dauide clamemus: Deus illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Hæc oratio ad reformandam & repurgandam Ecclesiam nonnihil efficere possit.

Ioan. 10

Eph. 4

L 5 SER

## Sermo Quintus.



Ira secundum Psalmi sexagesimiseptimi versum, præterea, quæ annotaui, etiam hoc obseruandum est, quòd in eo versu personam mutat. Cum enim in exordio Psalmi quasi cum alijs de Deo in tertiâ persona loqui cœpisset, Deus (inquit) misereatur nostri. Nunc in hoc versu ad Deum conuersus cum ipso in secunda persona quasi coram positus, ipsûmq; præsentem videns, loquitur: O Domine (inquit) da vt cognoscamus viam tuam in terra &c. Atq; hæc mutatio personæ valde frequens est in Psalmis, propter affectus, desideria, & commotiones, quas Spiritus sanctus in cordibus fidelium excitat: quemadmodum etiam in nobis ipsis experimur. Quum enim de Deo cogitamus, loquimur, audimus, aut legimus, continere nos non possumus, quin vel cogitemus vel dicamus: O Domine, quàm bonus es sperantibus in te! Quàm suavis est Spiritus tuus his, qui diligunt te! Quis tibi non credat, tēq; amet, timeatq;? Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quia reputas eū? Quis sum ego, & domus Patris mei, quòd

Tren. 3

Sap. 12

Psal. 8

2. Re. 7

quòd mihi tanta polliceris? Hæc est personæ mutatio. Nec quisquam pius est, qui hoc non in seipso experiatur. Hoc ipsum etiã hic videmus in Dauide. Totus hic Psalmus spirat deuotionem, bonos affectus & commotiones internas. Non igitur mirũ, quòd Dauid nũc alijs de Deo prædicat, statim autem quasi aliunde rediens, cũ Deo ipso loquatur. Certissimum enim indicium est, quòd non ex frigido corde de Deo locutus: quemadmodum nos alium facimus, qui ipsi psalmos & cantamus, & legimus, sed plerunq; sine feruore Spiritus & deuotione, imò cum tædio & fastidio. Dauidis autẽ verba ex magno feruore Spiritus procedebant, nihilq; aliud præ se ferebant, nisi deuotionem & ardorem animi. Quemadmodũ de Deo externè loquebatur, ita & in corde sentiebat. Atq; hoc demũ est, Psalmos cũ fructu canere. Hoc cui datũ est, nõ mirabitur Dauidẽ toties personã mutasse, quin potius & ipse similia faciet. Verũ de his satis. Nã & residua huius Psalmi verba distinguẽda & explicãda nobis sunt. Audiui mus igitur, quã ob causam Dauid ante oĩa hoc optauerit, vt Deus nostri misereatur, nõsq; benedicat & illuminet: nẽpe, vt cognoscatur via & salutare eius, idq; nõ in vno loco, aut vno populo, sed in oĩ terra oĩbũsque  
genti

- gentibus. Nullum autem ex his verbis frustra positum putemus. Primò enim, quòd tam apertè loquitur de via Dei, eiusq; salutare, innuere voluit, se hominum vias & salutem vel auxilium nò magni facere. Idem
- Pfal. 34 enim est ac si dixisset: Custodi nos Domine ne vnquam in vijs hominum ambulemus,
- Pfal. 59 aut in salute eorum confidamus. Nam viæ eorum sunt tenebræ & lubricum, & salus eorum vana, Aegyptus enim, homo, &
- Isaiæ 31 non Deus, & equi eorum caro, & non Spiritus. Nec est quod quisquam confidat etiam in principibus, aut in filijs hominum, in quibus nulla est salus. Exhibet enim
- Pfal. 145 spiritus illorum, & reuertetur in terram suam: peribuntq; vna die omnes cogitationes eorum. Da igitur Domine Deus gratiam, benedictionem & lumen, vt tuam viam & salutare tuum cognoscamus. Ceterum, via Dei est, qua & ipse venit ad nos, & nos ad ipsum. Et quæ est illa via, qua
- Pfal. 24 Deus venit ad nos? Omnes viæ eius (dicit Dauid) misericordia & veritas. Per hanc viam Deus venit ad nos? Per hæc media nobiscum agit, quicquid enim nobis promisit aut benefacit, non aliunde procedit, quàm quòd ex natura bonus est, suâq; nobis bona promisit. Per eandem hanc viam etiam ad Deum nobis redeundū, est videlicet vt per
- fidem,

fidem, & eius misericordiam, & veritatem agnoscamus & apprehendamus. Per spem in eadem eius misericordia & veritate confidamus, per charitatem autem ipsum super misericordia & veritate eius laudemus & diligamus. Vt cognoscamus in terram tuam. Cæterum, via hæc Domini nusquam melius videtur, quam in Christo. In ipso enim misericordia & veritas obtinuerunt sibi: Iustitia & pax osculatae sunt. Per ipsum apparuit nobis gratia Dei. In ipso etiam sunt omnes promissiones Dei, & Etiam. Deinde etiam ipsum salutare Dei, nihil aliud est, quam Christus ipse. Per ipsum enim solum nos ducit ad salutem.

Et ob eam causam etiam ubiq; in Scripturis nominatur salus, vel salutare Dei. Hæc pertinet, quod Simeon dixit; Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Et Isaias: Videbit omnis caro salutare Dei. Et iterum: Exultabimus in salutari tuo. Et Deus ipse: Salus mea non morabitur. Et iterum: Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usq; ad extremum terræ. Et Dauid: Redde mihi lætitiā salutaris tui. hoc est, exhilara me per Christum filium tuum mihi promissum & reuelatum. Plura ad hanc rem pertinentia ex Scripturis possem adducere,

Psal. 84

Tit. 2

1. Cor. I.

Luc. 2

Isai. 40

Isai. 25

Isa. 46

Isai. 49

Psal. 50



ducere, in quibus Christus salutare, vel salus Dei nominatur. Hinc & David hic orat, ut via & salutare Dei, hoc est ipsius vel misericordia & veritas per Christum nobis ostendatur inter omnes gentes, & in omni terra cognoscatur. At dicet hic quispiam: Et quid tantopere refert viam & salutare Dei, ab omnibus gentibus, & in omni terra cognosci, aut quid utilitatis inde consequitur mundus? Audi sequentia.

*Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes.*

*Latentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis.*

Sensus verborum est, Si via & salus tua ubiq; cognosceretur, fieri non posset, quin omnes homines nomen sanctum tuum magnificarent, omnesque gentes gaudio perfunderentur, propterea quod iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Ob eam causam summis votis exopto, ut omnes homines ubiq; terrarum, viam & salutare tuum cognoscant, quod tamen fieri non potest, nisi tua misericordia, benedictio, & illuminatio vultus tui præcedant, & via ad hoc

hoc præparent. Atq; hîc vides, quàm pulchrè Dauid se ipsum magis ac magis declararet, & quid finaliter etiam quærat. Peticerat lumen vultus Dei in eum finem, vt omnibus hominibus nota fierent via & salutare Dei. Verū non in hoc consistit, ne quis putaret solam:quemadmodū & pseudochristiani nūc faciunt, qui de sola & nuda cognitione Dei aut Christi sibi placent, omnia salua sibi esse iudicant, seque perfectos christianos esse autumāt, si Euangeliū legerē, de Christo loqui, aliisq; viam salutis monstrare sciant: hinc sibiipsis persuadentes, imò se ipsos miserè decipientes, quasi nulli vnquàm fuerint, qui perfectiorem & absolutiorem Dei & Christi cognitionem habuerint. Interim ne semel quidem cogitantes non satis esse, viam rectam cognitam habere, nisi per eandem incedamus, & salute per Christū nobis oblata rectè utamur. Duo hæc paucissimi huius temporis attendunt, sola & nuda cognitione, & fide cōtēti. Atqui certissimè errāt. Sāctus enim Dauid nō tātūm cognitionē, verūm etiā fructus diuinæ cognitionis & fidei exoptat, & querit. Et qui sunt illi fructus? Cōfessio & gaudiū. Hoc (inquit) videre cuperē, vt omnes homines ex fide & cognitione tua, o Deus nomē tuū sanctificarent, te colerent

te glo,

te glorificarent, te diligerēt, & amarēt, tibi ex animo seruirent in vera, & omnimoda obedientia, seq; in te solo præceptisq; oblectarent. Hinc enim nihil nō boni sequeretur. Sic etiam in terra positi regnum tuum videre, habere, & possidere possemus: sic deniq; nihil bonorum nobis defuturum esset. Cæterum, fieri non potest, vt te ex animo glorificemus, & in te solo gaudeamus, nisi prius cognouerimus viam & salutarem tuam, hoc est, misericordiam & veritatem tuam, in Christo nobis ostensam. Ad quod tamen pertingere non possumus, nisi diuino lumine tuo desuper illustrati fuerimus.

Huius autem capaces non sumus, quamdiu in peccatis manserimus. Idcirco primò omnium gratiam & misericordiam, deinde benedictionem tuam, postremò lumen vultus tui à te precatus sum, simulq; ostendi, ad quid huius luminis indigeamus, & quales fructus inde cuperem exoriri, Deus misereatur nostri, & benedicat nobis. Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Vt cognoscamus in terra viam tuam: In omnibus gentibus salutare tuum.

Tunc enim confitebuntur tibi populi Deus, confitebuntur inquam tibi populi omnes. Tunc lætabuntur & exultabunt gentes, &c. Ex his vt opinor nemo non videre

videre potest, quã pulchrè David seipsum  
 declaret, quanquam concinnè & in vero or  
 dine verba sua inuicem connectat, vt re-  
 uera melius ordinari non potuerint. Iam  
 quemadmodum veteres illi orare cogebã-  
 tur & orabant pro gratia, benedictione, &  
 illuminatione, quæ in futurum illis promit-  
 tebatur per Christum effundenda, ita nobis  
 eo tempore natis, quo iam dudum ea gratia  
 & benedictio, & lumen illud diuinũ mun-  
 do innotuerunt, faciendũ est. Nullo enim  
 non die legimus & audimus Euangelium  
 Christi, quod nobis apertissimè & viam &  
 salutare Dei ostendit. Restat igitur, vt eis-  
 dem rectè vtamur. Tũc autè rectè vtimur  
 lumine, via, & salutari Dei, cum etiã in no-  
 bis, exerimus fructus illos, quos David hĩc  
 recēset, cum dicit: Confiteantur tibi populi  
 Deus, &c. Lætentur & exultent gentes,  
 &c. Si cognouisti viam & salutare Dei, vi-  
 de, vt confessio sequatur, confessio inquam  
 peccatorum, & cōfessio diuinæ laudis. Hic  
 primus fructus est fidei, & cognitionis Dei:  
 qui si in te non apparet, nondum verè co-  
 gnouisti viã, & salutare Dei. Si enim verè  
 cognouisses, nõ erubesceres malum tuum  
 confiteri, nec cessares laudare bonitatem  
 Dei. Imò si perfectè cognoueris vias tuas,  
 facillè videbis & te, & omnia tua nihil esse

eòq; promptiùs ad solum Deum glorificandum confurges. Aliò qui semper tibi ipsi placebis de tua ratione, viribus & operibus, eòq; minus Deo gloriam sibi vni de bitam dabis. Itaq; Dauid non solum prædixit, veram Dei cognitionem in omnibus cõfessionem & gaudium excitaturam, verum insuper orauit & optauit, vt id ipsum quàm primùm fieret, idq; in omni terra, & apud omnes gentes. Sed quæ nam est illa confessio, quam Dauid tantopere in omnibus hominibus videre & audire cupit? Profectò nihil aliud, quàm sanctificatio nominis Domini, quam Christus & nos petere iussit, in precatione illa, quam discipulis

**Mat. 6.** suis præscripsit. Sic (inquit) orabitis: Pater noster, qui es in cœlis: Sanctificetur nomen tuum, &c. Ea inquam confessio est, de qua

**Psal. 94** Dauid loquitur, cum dicit, Cantate Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra. Cantate Domino & benedicite nomini eius, annuntiate de die in diem

**Psal. 116** salutare eius. Et iterum: Laudate Dominum omnes gentes. Laudate eum omnes populi. At dicet quis: Hoc quidem faciliè peragitur nec magno labore indiget. Hoc quidem faciliè tibi concesserim frater, si Deus nudis verbis contentari vellet. Longè autem aliter res se habet. Multa enim  
ad hoc

ad hoc requiruntur, vt nomen Dei verè sanctificetur, ipsique vera laus tribuatur, vera enim laus Dei à confessione peccatorum incipere debet. Huius si exemplum queris, audi Dauidem in alio Psalmo: Non nobis (inquit) Domine, sed nomini tuo da gloriam. In hoc vno verbo duplicem habes confessionem. Primùm enim peccata nostra confitetur, cum dicit: Non nobis Domine ascribatur gloria. Deinde laudem Dei confitetur, cum dicit: Nomini tuo da gloriam. Hoc idem & aliquantò clariùs in alijs Psalmis videre licet, vt cum dicit: Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculū misericordia eius. Psal. 113  
Psal. 105

Et hinc quidem præponit laudem Dei. Cæterùm, vt eam bonitatem Dei perfectiùs laudare possit, statim addit, Peccauimus cum patribus nostris, iniustè egimus, iniquitatem fecimus, &c. Consimile exemplum habemus & in Daniele: Tibi (inquit) Domine iustitia, nobis autem confusio faciei nostræ: quia recessimus à te, & non au diuimus vocem tuam, &c. Hoc cupiebat Dauid videre & audire, vt omnes gentes simul & peccata sua, & laudè gloriámq; Dei confiterentur: ideò confessionis verbum bis repetit: Confiteantur (inquit) tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. Dan. 7

Domine da lumen tuum, ostende viam & salutare tuum. Imò quandoquidem omnia hæc iamdudum dedisti, da, vt eisdem bene vtamur, vt te omnes perfectè laudemus, colamus, tibi soli seruiamus, tibi omnia bona accepto feramus, ante omnia autè nos ipsos perfectè cognoscamus, in summa, vt te vnū & solum magni æstimemus, nobis autem ex corde displiceamus. An non autem pia hæc & verè necessaria oratio esset, cùm semper, tum maximè hoc tempore, quo nihil minus, quàm veros illos fructus fidei, diuinæq; cognitionis attendimus? An non aperta nobis esset via ad pacem, concordiam & reformationē Ecclesiæ restaurandam, si omnes & singuli pro suo quisq; statu & conditione, errores, peccata, miseriam, cæcitatē, superstitiones, abusus, vitiamq; nihil minus quàm Christo dignam agnoscere, confiteri & damnare in animū duceremus? An non verè beata & angelica vita esset, si omnes vno ore Deū super misericordia & veritate sua glorificaremus, vt

Rom. 15) Paulus monet? Reuera enim nihil hactenus obtulit, omnemq; Ecclesiæ pacem, concordiam, & reformationē impediuit. quàm quòd nemo errores, peccata, miseriam, cæcitatē, superstitiones, abusus & impiã vitam suã agnoscere & confiteri voluit. Tantum enim

enim, quid alijs desit, consideramus atque  
 adeò plerunq; festucam in oculis aliorum **Lucæ 6**  
 videmus, ipsi trabem in oculo nostro non  
 attendentes. Quomodo autem Deo pla-  
 cere potes, si ore ipsum laudes, interim mi-  
 seriam tuam non agnoscens? Planè erras, si  
 hoc credis. Si autem Deum verè laudare  
 & glorificare cupis, non erubescas confite-  
 ri peccatum tuum. Quò enim minus de te  
 sentis, eò maiore gloriam Deo tribuis. So-  
 lius enim Dei gloria est, quòd errare non  
 potest, mentiri & fallere nescit, nihil iniu-  
 stum agit, imò quòd solus iustus, sanctus, &  
 verax est. Hic honor soli Deo cõpetit. De **Roma. 9.**  
 nobis ipsis longè aliter sentiendum: imò  
 apertè nos confiteri oportet, quod in multis  
 errare, fallere, mentiri: & quod malum est  
 facere possumus, nec tantum possumus, sed  
 indies malum facimus. Confiteantur igi-  
 tur tibi populi Deus, confiteantur tibi po-  
 puli omnes. Da gratiam vt omnes & sin-  
 guli cuiuscunq; status & cõditionis sumus,  
 nos ipsos, errorésq; & peccata nostra agno-  
 scamus, tibiq; vni omnem gloriam ascriba-  
 mus, &c. Hæc esset regia via ad veram  
 laudem Dei, si nos ipsos peccatores, & mi-  
 seros agnosceremus. Nec parum etiam fa-  
 cere posset ad concordiam & reformatio-  
 nem Ecclesiæ. Quamdiu enim quisq; sibi-



ipsi placet, & errores peccatq; sua erubescit confiteri, imò eadem nititur excusare, nulla spes erit vel concordia, vel reformationis, sed nec ad perfectam vniformemq; Dei laudem peruenire poterimus. Eò fortius & feruentius à Deo petendum, quod ex nobis non habemus.

## Sermo Sextus.



Vdiuimus suprà in prioribus huius lxxvj. versibus, quàm feruenter sanctus Dauid optet & oret, vt omnes homines, omnes gentes in omni terram & salutare Dei cognoscant, obq; eam causam summè admoneat Deum vt dissimulatis peccatis nostris dignetur misericorditer nobiscum agere, nos benedicere, vultumq; suum super nos illuminare, simul subindicans pius ille Dauid, quid in hoc quaerat, & inde speret. Vult enim dicere: Domine Deus vi deo nihil aliud nobis deesse, omniaq; bona impedire, quàm quod nimium nobis ipsis tribuimus, propriae rationi plus credimus, quàm verbo tuo, nosque ipsos tuo regimini diffidentes, regere & dirigere volumus. Da igitur lumen gratiae tuae, vt viam tuam, & salutare tuum cognoscamus. Imò vt omnes populi  
non

non sibi, non suæ prudentiæ, nō suis viribus  
aut iustitiæ, sed vni tibi gloriam dent, tuam  
viā pro certa & vnica, tuūmq; salutare pro  
vera, & indubitata salute teneant, omnem-  
que fiduciam non in se ipsis, sed in te po-  
nant, &c. Hoc sibi vult Dauid, hoc quærit,  
nec immeritò. Reuera enim iam inde à  
principio conditi hominis in hunc vsq; diē,  
summum nobis damnum intulit, & etiam  
nunc infert, quod nō in omnibus Deo glo-  
riam cedimus, sed plus æquo nobis ipsis tri-  
buimus. Hoc ipsum enim primum hominē  
è Paradiso eiecit. Hoc ipsum gētes in tam  
varios errores horrendaq; peccata coniec-  
cit. Hoc ipsum Iudæus ex filijs Dei, meros  
hypocritas, Deo abominabiles fecit. Hoc  
ipsum etiā in Ecclesia tot sectas & hæreses  
excitauit, & adhuc excitat. Si primi paren-  
tes nostri hanc Deo gloriā dedissent, quòd  
quæ ipsis cōminatus fuerat, certò euentu-  
ra essent, nunquā serpenti contrarium per-  
suadenti credidissent, atq; adeò nec in hāc  
miseriam incidissent. Cùm autem serpenti  
plus crederēt, quàm Deo, propriāq; ratione  
sedulo sibi ipsis persuaderēt vetitum illum  
cibum nō posse tantum damnum inferre,  
præceptum Dei transgredientes, ac minas  
eius parui pēdentes, statim in se ipsis sēse  
sunt, quod prius ignorabant, etiā antequàm

Genes. 3

Rom. 1

Genes. 3

Deus iudicio suo eos premeret. Hoc idem  
 Rom. I in gentibus videre licet. Si enim Deum,  
 quem ex creaturis nosse poterāt, ut Deum  
 glorificassent, legique naturæ hominis in-  
 titæ obtemperassent, non in tot errores &  
 peccata incidissent, nec ita in reprobū sen-  
 sum dati essent. Quia autem propriam ra-  
 tionem sequebantur, & quilibet cōtemp-  
 to Deo & lege Naturæ, suo sensui & capiti  
 innitebantur, in non numerandos errores,  
 maximāq; vitia corruerunt. Ad eundem  
 modum, si Iudæi in eo perstitissent, quod  
 Deus ipsis per Moysen denūtiaverat, nem-  
 pe quòd verbo suo nihil vel addere vel mi-  
 nuere, & ab eodem nec ad dexterā nec ad  
 sinistram declinare deberent, nunquā in  
 tantam Dei indignationē incidissent. Quia  
 autem non perstiterūt, cultum & religio-  
 nem ipsis à Deo præscriptam fastidientes,  
 ac magis gentilium ritus probantes, cœpe-  
 runt gentiles cultus immiscere cultui diui-  
 no, ob quam rem Deus palam testabatur,  
 & ipsos, & cultus eorum sibi nequaquam  
 placere, sed abominationē esse, donec tan-  
 dem ipsos ex toto abijceret, & in interitū  
 daret. Similia videmus etiam apud nos.  
 Si enim Christiani nos Deo gloriam dan-  
 tes, & intellectum propriūmq; iudicium,  
 in obsequium Dei captiuantes, in doctrina  
 Christi

Christi & Apostolorū simplici animo per-  
stitissemus, nūquā Diabolus tantum ma-  
lorum in Ecclesia excitare potuisset. Quia  
autē pleriq; suo sensui nimum credentes,  
propriæq; rationi, subtilitati & perspicaci-  
tati plus æquo confidentes, plus volebant  
scire, quā oportebat, factum est, vt mun-  
dus erroribus & hæresibus plenus sit, sem-  
pérq; error errorē pariat. Quòd si vel ho-  
die Deo debitā sibi gloriam dare, nostrām-  
que vanam gloriam, mundanam laudem,  
propriūmq; commodum seponere in ani-  
mum induceremus, iam consultū esset Ec-  
clesiæ. Caterū, hi sunt scopuli illi, in quos  
vel maximè impingimus. Nemo non sua  
quærit vndecunq; etiam ea corradat. Ne-  
mo non sibi placet, cū dicere potest, Nos  
vicimus, nos rectè sensisse probamur. Ve-  
reor autē ne hæc duo, diuitias videlicet, &  
gloriam mūdanam plus quæramus, quā  
gloriam Dei. Et quid boni inde sequi pos-  
set? Bone Deus, an non Ieremias perquā  
diligenter admonuit, ne quis in sua sapien-  
tia, fortitudine, aut diuitijs confidat? Quòd  
si pergimus temporalia pluris æstimare,  
quā veritatem & spiritualia, doctiq; plus  
suam, quā Dei gloriam quærere non de-  
ficient, actum est de Ecclesia. Quis autem  
nō videt, quā nos hoc dedebeat? Christus

Rom. 12

Iere. 9

M 5 dicit

- Iohan. 8 dicit se non venisse, vt suã, sed vt Patris glo-  
 riam quærat. Hoc exemplum si nõ sequi-  
 mur, cuius tandem discipuli sumus? Chri-  
 stus non sibi placuit. At nobis vel maximè  
 Rom. 1 5 placent imaginationes, adinventiones, do-  
 gmata, & scripta nostra. Si hominibus pla-  
 cerem (dicit Paulus) Deo placere non pos-  
 sem. Idem Paulus nullam quærit laudem  
 ab hominibus, & pro minimo ducit mūdi  
 de se iudicium. Sed nec Petrus erubuit aut  
 iniquè tulit, quum à Paulo redargueretur.  
 Gal. 1 Diuus Augustinus, tātus videlicet doctor,  
 cupiebat etiã à puero discere. Idem etiam  
 1. Cor. 4 sua sponte multa ex scriptis suis vel retra-  
 ctavit vel omnino aboleuit. Quàm inde-  
 corū igitur nobis est, vbi gloriam nostram  
 gloriæ Dei, paci; & trāquillitati Ecclesiæ  
 præferimus? Vt interim taceam, quòd pro-  
 2. cor. 10 barus non est, qui vel se ipsum commendat  
 vel ab hominibus commendatur. Sivera in  
 2. cor. 10 nobis esset dilectio Christi, nec gloriæ hu-  
 manæ, nec diuitiarum rationē haberemus,  
 sed simpliciter cū Dauide diceremus: Non  
 Psal. 114 nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo  
 da gloriam. Et iterum: Confiteantur tibi  
 populi Deus, confiteantur tibi populi om-  
 nes. Itaq; quantacunq; sanctitate prædi-  
 Psal. 129 tus es, semper tamē dicere debes: Si iniqui-  
 tates obseruaueris Domine, Domine quis  
 sustine

sustinebit: Quantumcūq; diuitijs abundas,  
 semper tamen illud Dauidis in ore habeas:  
 Ego autē mendicus sum & pauper. **Quan-** **2.Par.29**  
**tacunq;** fortitudine polles, semper tamen  
 dic: Domine, tua est potentia, tuum est re-  
 gnū, Tua est magnificentia, & gloria &c.  
 Sic & quantacunque eruditione præditi  
 es, semper tamen illud Salomonis apud te **Sapien.9**  
 cogita: Difficile æstimamus, quæ in terra  
 sunt, & quæ in prospectu sunt, inuenimus  
 cum labore. Quæ autē in cœlis sunt, quis  
 inuestigabit? &c. Et illud Pauli: O' altitudo  
 diuitiarū, sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm **Rom.11**  
 incōprehensibilia sunt iudicia eius, & im-  
 peruestigabiles viæ eius! Quis enim co-  
 gnouit sensum Domini, aut quis consilia-  
 rius eius fuit? &c. Et quid multis opus est?  
 Quantumcunq; tibi bene cōsciū es, quan-  
 tumcunq; laboras, semper tamē dic: Domi-  
 ne, seruus tuus sum, feci quod potui. Non  
 autem certus sum in seruitio meo, quòd om-  
 nia rectè perfecerim, quemadmodū An-  
 geli in suo seruitio, quin potius planè con-  
 fiteor, quòd in pluribus cessauerim, & plus  
 æquo fræna laxauerim, aliquādo nimium,  
 aliquādo minus quàm oportebat fecerim,  
 nūc inuidia erga alios, nūc inordinato erga  
 me ipsum amore ductus, nūc in meū cōmo-  
 dum, nūc in aliorum damnū loquutus sum  
 & scrip

& scripserim. Ideò tibi cedat omnis honor.

Verbo tuo plus tribuendū est, quàm meis scriptis. tu verax es, omnis autē homo mendax. Tibi debetur omnis honor, mihi cōfusio, qua gloria augeatur tua. En hoc esset Deo gloriā dare. hoc volebat Dauid, vt omnes homines sic affecti essent, nullus in sua sapientia, scientia, potentia, cōfidat: sed agnosceremus, quòd nostra iustitia nihil est, nisi pānus menstruata: nostra sapientia nihil nisi stultitia, nostra potentia nihil nisi bulla, atque adeò omnes tuā iustitiam, sapientiam, potentiam, magni æstimarent, omnes illuc confugerent, & in eis confiderent. Cōfiteantur tibi populi omnes, quia quādiu vel in iustitia, sapientia, & viribus nostris cōfidimus, nos ipsos fallimus. Ideò, ò Domine, da gratiā, vt nobis metipsis nō confidamus, neq; de sapientia, iustitia, viribus nostris superbiamus, sed ex corde nos agnoscamus peccatores, cecos & infirmos, & in te vnum nos conijcientes, tuam iustitiam, sapientiam, potentiam glorificemus. Cōfiteantur tibi populi Deus. En hoc vult sibi versus hic, & hoc voluit Dauid tot verbis dicere, & repetere, hoc enim est preceptum in Psalmo hoc, & ideò semel atq; iterum repetit, quemadmodum postea audietis. Deinde hoc ipsum est, quod minimè

omnium

omniū ponderamus, quia homo vult semper aliquid esse, & humana ratio semper sibi persuadet, se aliquid scire. Contra hoc pugnat Spiritus sanctus vbiq;. Contra hoc etiam pius Augustinus hūc versum specialiter exposuit: Si vis (inquit) hūc versum rectè intelligere, & tibi vtilem facere, cōfiteri peccatū, confiteri gloriam Dei, te accusa, illum glorifica, vt ipse veniens & videns, quòd te ipsum damnes, se tibi saluatorem ostendat: insuper addat exclamacionē: O miseri homines, quid timetis confiteri vestram miseriam, qui auditis, Spiritū sanctū hoc exigere in omnibus gentibus? Si te vis abscondere, & non cōfiteri, nihil certius habes, quàm quòd tua superbia damnaberis.

Quid times confiteri, qui non potes esse occultus, etiam si non confitearis, certè tacens damnaberis, qui posses liberari si cōfitereris, quia talis cōfessio non est ad perditionem, sed ad salutem id quod indicat sequens versus, vbi Dauid dicit:

*Latentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in equitate, & gentes in terra dirigis.*

Hic est quartus versus, quem exponit Augustinus, & alij sicut iam audistis de cōfessione peccatorū & miserix nostræ, quāuis pro



uis propriè loquendo etiam alium sensum habeat, id quod aliàs ostendisse me memini. Nunc volumus ipsum de confessione peccatorum intelligere: vbi homo cōfiteatur peccatum suum, & miseriam, hoc enim præcedere debet. Quandiu enim aliquod peccatum telas, Deo gloriam suā non tribuis, cōtrā quò magis te humilias, accusas, contemnis, eò magis Deū glorificas. Verum hoc opus, hic labor est, se ipsum pro nihilo ducere, & propriam miseriam confiteri. In mundo quidem parum cōmodi præstat. Qui enim non semper magnifica de se prædicat, ab omnibus contēnitur: qui mala de se ipso confitetur corā mundi iudicio, is certò punietur. Inidò mundus exigit cōfessionem à malis, vt postmodum eò durius puniantur. Sic etiam quis hīc cogitare posset, quum audit, à nobis exigit confessionem, posset retrocedere & dicere, durus est hic sermo. Posset formidare, ne fortè sibi contingeret, vt latroni cōtigit in iudicio humano, postquàm peccatum suum confessus est. Hoc igitur excludit hic versus. Non dicit Dauid, Peto quidē & opto, vt omnes homines peccatum suum confiteantur, non in eum finem, verum nō ideò, vt cōfessi puniantur, sed vt in Deo gaudere possint. Cōfiteantur, præcedit, Latentur co

tur coram Deo. In mūdo aliud agitur. Si malefacta nostra cōfiteamur, nihil certiū expectare possumus, quā pœnam. Qui autem coram Deo cōfitetur, nihil certiū habet, quā gaudium conscientia. Lætentur & exultent gentes. Si flere coguntur, dicit Augustinus, qui coram iudice homine fatentur peccata, gaudendum nobis est, cū coram iudicio Dei peccata confessi sumus. Illam confessionē extorqueri oportet timore pœnæ. Ideò non potest talis confessio gaudium afferre. Quia antequā confiteatur, torquetur: postquā confessus est, ducitur ad mortem. Vtrinque miser est, ante & post confessionem. Quid autem Daud: Lætentur & exultent. vnde? In confessione. Cur? Quia bonus est, cui confitentur. Ad hoc exigit confessionem, vt humilem liberet. Ergo esto tristis ante confessionem, post exulta: quia sanaberis.

Antequā confitearis, vlcus intumescit, quod in conscientia sæuit, & te quietū esse non patitur. Venit autem Deus, vult remedium præstare, adhibet autē primū verba.

Vbi his nihil proficit, accipit cauteriū, excindit ipsum vlcus, immittit tribulationē. Agnosce tamē, quòd omnia facit, vt medicus. Cōfiteri igitur: Aperi os in cōfessione, quod reliquū est, facile sanabitur. En hoc

vult

vult Dauid cum his duobus verbis: *Lætentur & exultent.* quasi diceret: *O Domine da gloriam, vt omnes peccata sua cōfiteantur, se humilient, veniam petāt, vt sic etiam possint lætari in cōscientia, in tuo iudicio.*

Ita exponit Augustinus. Et bene quidem: nam in hoc laudē Dei incipere nos oportet. Et secundum hoc possemus nunc hīc videre, ad quid confessio peccatorum utilis sit, nempe vt Deū minus timeamus in iudicio. Vbi enim confessio præit, non est formidabile iudicium. Is autē timere potest, qui non per confessionem veniam accepit. Ideò præponit Dauid: *Cōfiteantur.* postea: *Lætentur.* Fratres non cuius datū est, de Dei iudicio gaudere. Impiis summus terror est, qui Deum iudicem habere coguntur. Nam quò iustior iudex est, eò minùs spem habere possunt: mallent enim Deum esse quē vel minis terrere, vel muneribus placare possent, nunc autē sperare non possunt, vel euasionem pœnæ, vel gloriam beatitudinis æternæ. Iudicat in æquitate populos. Nullum damnat innocentē.

Nullum malum finit impunitum. Hoc autem impiis non admodum gratū est. At pijs summum gaudium: propterea quòd aliās in mundo & iniustitiam patiuntur, & rarò inueniunt iustos iudices, qui ipsorum causam

causam agant: quandoquidē nesciunt adu-  
 lari, nec habent quod donent etiam. Ideo  
 ipsis summum gaudium est, quod Deus  
 eorum iudex esse vult, & est. Hic enim  
 ipsis præsens adest, etiam si omnes homi-  
 nes derelinquant. Ipse nouit eripere: & si  
 omnes homines contra eos pugnēt. Hunc  
 iudicem quærebat Dauid ubiq; in Psalmis *Psal. 53*  
 suis: Deus (inquit) in nomine tuo saluū me  
 fac, & in virtute tua iudica me. Iudica  
 me Deus, & discerne causam meam de gen- *Psal. 42*  
 te non sancta, ab homine iniquo & dolofo  
 erue me. Sic Ieremias: Tibi reuelauī cau- *Iere. 11*  
 sam meam Domine Deus meus. Sic Za- *2. Par. 24*  
 charias: Videat Dominus & iudicet. Hæc  
 est igitur causa, quod Dauid dicit: Latentur  
 & exultent gentes: quoniam iudicas popu-  
 los in æquitate, & gētes in terra dirigis. Sic  
 & in alio Psalmo dicit: Latetur mons Sion, *Psal. 47*  
 & exultent in rege suo. Quia enim sciunt  
 Deum iudicare in æquitate, certi sunt de sa-  
 lute sua. Nam aliōqui nulla certa spes sa-  
 lutis esset, quia semper timendum esset, ne  
 iudex fauore, vel dono, vel ira, vel indigna-  
 tione, à iustitia auerteretur. Quia autem  
 iustus iudex est, timor ille sublatus est. Le-  
 tentur & exultent gentes, quoniam iudicas  
 populos in æquitate. Sic igitur hunc sen-  
 sum haberet versus hic: Domine da lumen,

vt primò viam & salutem videamus. Secundo, vt nos ipsos & miseriam nostram confiteamur, & humiliemur: vt finaliter veniamus ad lætitiã cordis, & non timere habeamus iudicium tuum. Nemo enim potest coram iudicio tuo consistere, nisi prius senserit gaudium conscientie. Nemo gaudium habet conscientie, quamdiu peccatum in ipso latet. Non est igitur aliud medium peccata expurgandi, quàm per confessionem humilem. Dixi, confitebor (inquit ille) contra me peccatum meum Domino. Et tu remisisti impietatem peccati mei. En hic esset vnus sensus exponendi hunc Psalmum, qui ad hoc seruire nobis debet, vt eò minus erubescamus coram Deo humiliari, quandoquidem audimus, quòd certum gaudiũ & securitas sequatur.

Psal. 31

## Sermo Septimus.



Sic Dauid nos hæcenus orare docuit, Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri, Vt cognoscamus in terra viam tuam, in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.

mes. Latentur & extulent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate, & gentes in terra dirigis. Hucusq; progressi sumus in Psalmo hoc, sed tamen nondum omnia verba satis exposita sunt. Obseruandum igitur primò, quòd verba præmissa non tantum vt oratio accipienda sunt, sed quòd diuinus Psalter non solum sic orauit & optauit, verum certò in spiritu præuidit, quòd Deus humano generi misereri, & suam benedictionem tam abundanter effundere, & apertè faciè suam detegere, tam decreuisset, quòd in tota terra inter omnes gentes ipsius via & salutare cognosceretur. Vnde futurum esset, vt in omnibus populis & gloria Dei celebraretur, & nomen eius sanctificaretur, atq; adèò omnes gentes gaudio perfundendæ essent. Hoc inquam certò præuidit David in spiritu, hocq; teu fundamentum posuit orationi suæ, quasi diceret: O Domine, quandoquidem mihi reuelasti per Spiritum tuum, quantam gratiam olim ostendere decreuisti, eò certius & maiori cum fiducia orare possum. Imò quandoquidem, (neque enim ausus fuisset tale ne sperare quidè, nimirum indignū me agnoscens) quia autem tu ipse promisisti, & sic tibi placet, volo fiducialiter orare, vt propositum hoc tuum re ipsa adimplere digneris.

En sic & hæc aliæ Dauidis orationes accipiendæ sunt. Non enim in hunc modum oportet & hanc ipsam & alias item Dauidis preces acceptare, Non super incertum aliquid preces suam constituit. Sicut nos aliquando magna quidem & oramus, & optamus: & tamen ipsi non credimus, quod possibile sit id, quod petimus, Dauid habuerat reuelationem. Est hic Psalmus oratio talis, qualem alibi legimus, ubi Dauid etiam promissionem Dei sibi contemplandam ob oculos ponebat. Assidebat ad arcam sedulo, admodum secum voluens, quæ Deus ad eum dixerat verba:

**3. Reg. 7** Domine Deus (inquiens) quis sum ego? Et quæ domus mea, quia adduxisti me huc usque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum &c. In hunc modum Dauid promissionem sibi factam considerabat, deinde orationem suam subnectit. Nunc ergo Domine Deus, verbum quod loquutus es super seruum tuum, & super domum eius, suscita in sempiternum: & fac sicut loquutus es, ut magnificetur nomen tuum. In eum modum etiam Dauid hic fecisse credendus est. Primum apud se voluens promissionem de futuro Messia sibi, prærupit in verba lau

ba laudis & orationis. Iam quando nobis etiam reuelatum est, illud propositum Dei de futuro Messia, nec in alium finem, quam ut omnes homines ad laudem Dei & orationem inducerentur, conuenit etiam nobis ut similia faciamus. Scimus enim Isaiam dixisse: Videbit omnis caro salutare Dei. Et Iohelem: omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Scimus Deum dixisse: Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea vsq; ad extremum terræ. Et Symeonem: Viderūt oculi mei salutare tuum, eò maiori fiducia possumus & debemus orare, ut omnes homines cognoscant salutare Dei, in hoc gaudeant, & ob hoc gratias Deo decantent. Hi enim sunt veri fructus, qui sequuntur, vbi hoc salutare Dei perfectè cognoscitur, nimirum, confessione oris, & lætitia cordis. Daud, vtrunque coniunxit, & mox post cognitionem Dei, Vbi enim vterque fructus non sequitur, illic Deus non perfectè cognoscitur. Hoc autem non abs re dico, quia sunt, qui Deum quidem ore laudant, & tamen lætitiā non sentiunt in corde. Id quod certum indicium est, eos necdum verè cognouisse salutare Dei. Aliòqui fieri non posset, quia ex animo gauderent. Quid prodest autem ore profiteri, & non sentire gaudium cor-

Isaiæ 40

Iohel. 2

1. 127

2. 127

3. 127

127

N 3

dis?



dis? David quidem non solum præuidit, quod omnes gentes hoc salutare Dei confiterentur ore, verum corde inde gauderent. Deniq; non tantum orat, vt omnes gentes confiteantur, sed vt omnes populi lætentur, omnésq; in Deo gaudeant. In hoc rei cardo vertitur. Illud enim nonnunquam faciunt & mali, hoc verò non nisi electi, illud Deo accepto ferendum, hoc cedit ad nostram vtilitatem. David vtrunque petit: Domine (inquit) labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam. Redde mihi læticiam salutaris tui. Et iterum: Lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuavi. De hoc vltimo loquitur etiam in alio Psalmo: Domine (inquit) signatum est super nos lumen vultus tui. Et quid sequitur? Dedisti læticiam in corde meo. Et qualis est hæc læticia? Multò alia, quàm in mundo experimur. Illic enim gaudent mundani, quum fructus terræ, frumenti, vini, & olei multiplicantur, quum omnia prosperè cedunt, quum temporalia affatim cumulantur.

Quod autem est gaudium pij hominis? Quod dicere potest, In pace in idipsum, dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me, hoc est, tu solus facis me securum. Hoc est gaudium

dium piorum quod etiam in alijs ponitur  
locis, vt quum dicit: Dabo pacem in finibus Leui. 26  
vestris: dormietis, & non erit qui exterreat.

Et in Isaia: Sedebit populus in pulchritu- Isaia 32  
dine pacis, in tabernaculis fiducia, & requie  
opulenta. Hæc dicta sufficiant de duobus  
illis fructibus, Confessione videlicet oris, &  
lætitia cordis, quæ ex cognitione Christi et  
prædicatione Euāgelij sequi debent. Con-  
fiteantur tibi populi Deus. Latētur & exul-  
tent gentes, vult enim dicere: Domine scio,  
quòd olim omnes te populi laudabunt &  
lætabuntur in salutari tuo. Da, vt re ipsa  
impleatur, & nostris temporibus, & vt mox  
impleatur. Sed dicis: Quid tantopere re-  
fert, vt omnes gentes & populi ad laudē &  
gaudium inuitentur? Quia tum sciunt se &  
iustum iudicem, qui eos ab omni malo eri-  
pere, & fidelem ducem habere in cælo, qui  
eos dirigere ad omne bonum nouit. Atq;  
hoc est, quod Dauid in sequenti verbo subin-  
dicare voluit. Ideò inquit & gentes populi  
confitebantur tibi, & lætabuntur: quoniã iu-  
dicas populos in æquitate, & gentes in terra  
dirigis. Hoc esse debet nostra laus, & gau-  
dium, quòd iudicem habemus iustum, qui  
nos non sinit perire, & fidelē ducem, viæq;  
comitē, qui nos errare non patitur. An non  
autem videtur tibi hæc res laude, gaudio

& omni exultatione digna? Quid enim miserum magis, quam quum homo multos aduersarios habet, nullum autem iudicem, qui ipsum vindicet? Quid periculosius, quam cum quis ignota via incedit inter sylvas, & paludes inter latrones, & bestias: nec videt aliquod effugium, nec fidelem ducem habet? Econtrà, quantum etiam pauper gaudere potest, in illis suis aduersis, quum cogitat iudicem se habere in cœlis, qui iustitiæ fauet, & iustè iudicat? Quàm secure etiam ignota & periculosa via incedimus, quum fidelem & potentem ducem habemus? Iam nobis dictum esse putemus fratres: Nos sumus, qui & iudice & fideli directore opus habemus, sumus enim hic peregrini in aliena terra, & inter ignotos.

**Ioan. 15** Christus enim suos è mundo elegit. Ideò odit eos mundus, coguntur multa pati, & neminem habet inter homines, qui eos vindicare velit. Quid verò dicit David: Gaudete gentes, quia Dominus ipse iudicium sibi assumet, & iustus iudex erit. Qui nullum pium relinquit inultum, nullum impium impunitum. Cui nihil occultum est, quem nemo fallere potest, qui nullius altitudinem veretur. Hic est iudex ille, de quo David: Tibi (inquit) derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Huic iudici tam crebrò

crebrò causam suam commendat David,  
 tam frequenter ipsum appellat. Hic est Sap. 7  
 iudex, de quo sapiens ait: Non subtrahet per  
 sonam cuiusquam, qui est omnium domi-  
 nator. Nec verebitur magnitudinem cu-  
 iusquam, & æqualiter illi cura est de omni-  
 bus. Qui & de se ipso loquitur: Mihi vin-  
 dictam: & ego retribuam. Et quum acce-  
 pero tempus: Ego iustitias iudicabo. En  
 hæc est vna causa gaudij nostri. Si enim Deut. 32  
 verè cognouisti viam & salutare Domini,  
 meritò gaudes: tunc enim & vides & habes  
 iudicem tuum, qui te & vindicare & eripe-  
 re potest, idq; non temporaliter solùm, ve-  
 rùm etiam spiritualiter. Et quidem non  
 tantùm hostes externos habemus, verùm  
 etiam alios, qui potentiores sunt & nocen-  
 tiores. Qui hi? Nimirum peccatum, lex,  
 diabolus, mors infernus, qui omnes nos in  
 æternum exitium conijcere nituntur. Pri-  
 mò enim nascimur omnēs filij iræ, iram au-  
 tem Dei sequitur maledictio. Vbi autem  
 lex maledicit, ibi diabolus habet potesta-  
 tem. Vbi iuris quicquam ille acquirit, ni-  
 hil aliud expectandum, quàm mors, & in-  
 fernus. En in hac miseria detinebantur o-  
 mnes gentes, ibiq; nullus erat assertor, libe-  
 rator, vindex. Non poterat homo sibi ipsi  
 opitulari, nec aliqua creatura. Ibi sanè fle-  
 tus

tus & planctus fuerint oportet, apud eos præcipuè, qui hoc quantum sit periculum & malum, intelligebant. Quomodo autem dicit David? Lætentur gentes, qui non finis diabolum suam in nos semper exercere Tyrannidem, sed tu ipse & iudex, saluator, adiutorq; , & liberator esse vis. Et quidem non vnum tantum populum iudicare & saluare vis, sed omnes cum Iudæos, tum gentes, ex vero iudicio, non ex fauore aut personarum respectu. Eos vis iudicare in æquitate, quippe pauperem æquè ac diuitem, indoctum iuxtà ac doctum nullo excluso. Et hoc tandem est iudicare in æquitate. Hoc est iudicium illud, quod David ille sanctus, tam crebrò tamq; ardentibus votis petit: Deus (inquit) in nomine tuo saluum me fac, & in virtute tua iudica me. Itémq;: Deus iudica me, & libera me à peccatis, nempe & morte. Et alibi: Deus iudicium tuum regi da, & iustitiam tuam filio regis, iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. quasi diceret: Domine en pauperes vim patiuntur, diabolus exercet Tyrannidem, peccatum omnia aufert, mors interimit omnes, infernus omnia deuorat, ibi nullum auxilium quàm in te vno & solo, nunc autem promissisti regem Messiam redemptorem. O Domine

Psal. 53

Psal. 43

Psal. 11

mine

mine mitte eum, da iudicium tuum regi,  
mitte Christum, vt pugnet contra diabo-  
lum: tollat peccatum, aboleat mortem, de-  
struat infernum. Si filius vos liberauerit, Ioan. 8  
verè liberi eritis. Qui sunt autem, quos iu-  
dicat & liberat? Populum suum, pauperes  
suos, filios pauperum. Sunt quidem om-  
nes homines sententiæ mortis subiecti, non  
omnes liberat, sed tantùm solos pauperes.

Qui sunt illi? Qui agnoscunt peccata  
sua, qui nihil virium habent, qui sibi ipsi  
non possunt opem ferre, qui in nulla crea-  
tura spei quicquam collocant, sed in solo  
Deo. Hi sunt pauperes, hic populus eius,  
hos iudicat, his parcat, his solis diuinæ mise-  
rationis sinus patet, horum animas liberat  
ex vsuris, & iniquitate, hoc est, ab exactio-  
ne & damnatione legis, horum nomen erit  
honorabile coram illo. En hoc vnum est  
vnde gaudere, & debemus & possumus.

Nimirum, quòd Christus iudex noster  
est, qui & temporaliter, & spiritualiter libe-  
rat à diabolo, mūdo, peccato, morte, adeòq;  
& inferno. Secunda causa est, quòd etiam Ioan. 8  
dirigit eos in terra, ne errent. Qui sequi-  
tur me, non ambulat in tenebris, sed habet  
lumen vitæ. Itémque: Oues meæ vocem  
meam audient, & non peribunt. Hoc est,  
quod Dauid dicit: Sedes tua Deus in se- Psal. 111  
culum.

culum seculi, virga directionis, virga regni tui. Verbū Dei est virga directionis, quod sic inquem orauerunt veteres pro hoc iudice. Quod autem ipsi orauerunt, hoc nos accepimus. Pater (inquit) Christus dedit omne iudicium filio. Quid est omne iudicium? Nimirū, quod non tantum in sua persona potuit vincere aduersarium, sed suos etiam eripere potest, & non tantum eripere, sed etiam iustos facere. Ad hoc dixit Christus: Sic Deus dilexit mundum, rectè ducit, & dirigit, adeoque & regit. En hoc præuidit Dauid in Spiritu, nimirum quod Christus suos liberaturus esset, & ad felicitatem ducturus. Ideò admonet omnes gentes ad laudem & lætitiā, orat deniq; ut omnes hunc saluatorem, iudicem, & ducem agnoscant, se ei dedant, de eius saluatione, & iudicij æquitate gaudeant. Et quid tandem melius orare possemus? Quid denique magis consolatorium & habere possemus & audire, quàm hoc ipsum, quod Dauid hic agit? Si igitur in mundo penuriam pati te oportet, gaude quod habes iudicem. Si urgent peccata, mors, gaude, vide plerosque errare, perire. Adhære tu duci tuo, & gaude te talem habere, & habere posse. Proinde adhuc semel idem repetit, dicens: Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi

populi omnes, terra nostra dedit fructum suum, & nostra terra talem fructum protulit, quod è Maria talis iudex natus est, imò quòd vel semel tandem verum fructum attulit, nò sicut ab exordio labruscas, sed fructum labiorum, imò & cordis quoque confessionem.

## Sermo Octauus.



*Confiteatur tibi populi Deus,  
confiteantur tibi populi omnes,  
terra dedit fructum suum.*

Hic mansimus, & hunc versum etiam aliqui veterum intellexerunt ad literam quae de virgine Maria, volueruntque, quòd David per hoc instituerit omnes gentes ad laudem Dei prouocare, quod nobis talem fructum Christum, nempe ex nostra etiam terra, id est, virgine, quae nostrae naturae fuit, prouenire & nasci permisit. Sunt alij, qui versum hunc latius extendunt. Ego sanè vtrunque simul absoluam. Primò tamen ostendere volo, quomodo aliqui verba haec in genere exponunt, deinde ad beatam virginem



ginem ea referam. Et primò intelligunt quidam hunc versum, quasi hūc habeat sensum, ac si diceret Dauid: Domine Deus, da gratiam, vt omnes populi tibi cōfessionem & laudem persoluant, vt te vna fide, vnòq; animo omnes adorent & prædicent. Non tantum ob id, quòd misertus nostri benedixisti nos per lumen vultus tui, nobis viam & salutare tuum ostendisti, vnde tandem gaudium in corde nostro exortum perpetuum est: sed etiam, quòd terra foris, etiam ex tua benedictione fructum dat, ad sufficientiam omnibus populis. En hi intelligunt penes terram & fructum eius, omne id quòd Deus extra dat dignum gratiarum actione. Et huius gratia non esset malus intellectus, super hæc verba: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes. At necdum satis, Quid enim est etiã si terra dat quòd debet, siquidẽ nos ipsi infructiferi simus & maneamus? Iam autem audiuiistis, quòd Dauid in hoc toto Psalmo non aliud quicquam petijt, quàm, vt terra nostra, id est, nos ipsi, qui antehac nihil, quàm spinas & tribulos protulimus, & etiam nunc proferimus, vel semel tandem bonum adferret, nempe gaudium in conscientia. Laudem Dei in ore, & timorem Domini in opere, & omni vita. Ad hoc

hoc Dei misericordiam, benedictionem, adeoque & illuminationem poposcit, sperans quòd si quando nos Dei viam & salutare cognosceremus, hos fructus certo certius sequuturos. Non sanè inanis petitio, & votum vsque irritum. Nam certè terra nostra, id est, homines super terram nihil nisi spinas germinavit, priusquam Deus benedixit, & vultum suum illuminavit: vt viam eius, & salutem cognosceremus. Quæris, quæ sint spinæ illæ, quas terra nostra protulit, Nimirum omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

Sepulchrum patens est guttur eorum, lingua suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labijs eorum. & sic per integrum Psalmum. Vis adhuc aliquantò accuratius scire, vel audire, quas qualésque spinas terra nostra quondam protulerit? At di quid illustrissimus ille Paulus de hoc dicat: Nolite (inquit) errare: neque fornicarij, neque idòlis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Et hæc, ait, aliquando fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, in nomine Domini nostri Iesu Christi,

Psal. 133

I. Cor. 6

Christi,

- Christi, & in Spiritu Dei nostri. Et alibi: Et vos ait conuiuificauit, quum essetis mortui delictis & peccatis uestris, in quibus aliquando ambulastis iuxta seculum mundi huius, iuxta principem, cui potestas est aëris, qui est Spiritus nunc agens in filijs diffidentiae, inter quos & nos omnes conuersabamur aliquando in concupiscentijs carnis nostrae faciētes, quae carni & menti libebant, & eramus natura filij irae, quemadmodum & cæteri. Et, Eratis aliquando tenebrae, nunc lux in Domino. Hi erant fructus illi putridi, propter quos Deus etiam aliquoties ad iracundiam commotus, nunc hoc, nunc alio supplicij genere in eos animaduertit. Quid uero Dauid ad hæc? Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes: terra nostra dedit fructum suum. uerum propterea & conditi sumus, nempe ut cognoscamus, colamus denique, & timeamus Deum. Hic est, & quidem deberet esse fructus noster, ideo
- Ephes. 2** homines facti, ideo Christiani sumus creati ad opera bona, quae præparauit Deus, ut in eis ambulemus. Quae autem opera: Induite nouum hominem, qui iuxta Deum conditus est, per iustitiam & sanctitatem
- Ephes. 4** **Col. 3** ueritatis. Et iterum: Sitis igitur induti tanquam electi Dei, sancti ac dilecti viscera
- mise

miserationum, comitatem, modestiam,  
 mansuetudinem, lenitatem, sufferentes vos  
 inuicem, & condonantes vobis mutuo si  
 quis aduersus aliquem habet querelam;  
 quemadmodum & Christus condonat vobis,  
 ita & vos. Super omnia autem hæc habere,  
 charitatē, quæ est vinculum perfectionis. Et  
 iterum: Quod reliquum est fratres, quæcunq;  
 sunt vera, quæcunq; honesta, quæcunq; iusta,  
 quæcunq; pura, quæcunq; accommodata, quæ-  
 cunq; boni nominis, Si qua virtus, & si qua  
 laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & acce-  
 pistis, & audistis, & vidistis in me. Hæc fa-  
 cite, & Deus pacis erit vobiscum. Tales  
 fructus dedit terra nostra. Quomodo au-  
 tem David Domine (inquit) da benedictio-  
 nem, vt cognoscamus, & tunc dabit terra  
 fructum suum: propter quod & omnes te lau-  
 dabunt populi, Quod factum est. Lege a-  
 ctæ Apostolorum & Ecclesiasticam Historiam,  
 videbis impleta hæc. Cui autem hæc acce-  
 pto ferenda? Confiteantur tibi populi Deus,  
 ipse agricola, ipse euulsit spinas, ipse iniecit  
 semen, ipse dedit pluuiam, quomodo enim zi-  
 zaniæ, quæ tam altè radices in naturam no-  
 stram egerant, obuiam iri potuisset, nisi  
 Deus ipse rhanum suam admouisset? Quo-  
 modo terra nostra daret fructum suum,  
 nisi complueretur? nisi ipse, nempe Deus  
 dedisset

Philip. 4

Ioan. 15

- dedisset pluuiam? Quam pluuiam? Verbum nempe suum, Spiritum suum. Sicut enim imber & nix descendit de cælo, & illic non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen ferenti, & panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Et iterum: Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ. Vis exemplum habere, quod verbum Dei id ipsum operetur in cordibus fidelium, quod imber in terra? Impletum est tempus, dixit Ioannes, & appropinquauit regnum Dei. Pœnitentini igitur, & credite Euangelio. hæc erat pluuiæ, imò pluuiæ iuxta ac tonitru, vnâ cum terribili quodam fragore pœnitentiam inclamat: quia hoc ipso omnia, quibus homines in-niti possent, pessundabat, sed placidam admodum pluuiam huic superuenire sinebat, nimirum credite Euangelio. Item; Appropinquauit regnum Dei, Tempus impletum est. Vis exemplum habere, quis fructus sequutus sit, Venit mulier peccatrix, adferens alabastrum vnguenti. stansq; ad pedes à tergo, flens, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui extergebat & oscu

osculabatur pedes eius, & unguento ungebatur. Terra dedit fructum suum. Vis deinde audire etiam, quòd spiritus sanctus, id ipsum etiam operetur in cordibus nostris, quod pluuia in arida quapiam operari solet terra? In die Pentecostes venit Spiritus sanctus super Apostolos, qui antea nihil quàm timere, fugere, negare nouerant.

Acto. 1

Què fructum imber ille cœlitus demissus, attulit? Loquebantur varijs lingnis Apostoli magnalia Dei. Et erant eis omnia communia. En hic etiam impletum, Terra dedit fructum suum. Huc etiam allegare possumus, quod Dauid ait: Benedixisti Domine terram tuam. Quomodo benedixit? Misericordia & veritas obuiauerunt sibi. Ostendisti, quàm misericors, & quàm verax fueris. Et quid sequitur? Iustitia & pax. Idq; tã opulenter, sicut alicui videtur in magna aliqua frugum vbertate non tantum terrã ipsã frugeferã esse, sed & cœlo quoq; frumentum & vinũ instar pluuiz defluere. Sic hîc, veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Omnia hæc cõperta habemus in Apostolis ipsis, adeoq; & fidei nostræ primoribus, & etiã cõperiuntur in veris Christianis. Vbi enim via Dei & salutare agnoscitur, ibi Euangelium & Spiritus sanctus accipitur, ibi creditur Deo,

Acto. 4

Psal. 48

ibi inferuitur proximo, ibi deniq; diuites effici-  
 mur, in omnibus bonis operibus, & hoc  
 tandem præcipuum est, pro quo Dauid ille  
 sanctus tam ardentibus votis orat, & optat,  
 vt vniuersi viam Dei, & salutare eius agno-  
 scant, vt in omnibus gentibus Deus laude-  
 tur, & in Deo latemur, & terra nostra fru-  
 ctum det. Confiteantur tibi populi Deus.  
 O bonam precationem, o salutarem ora-  
 tionem, & o rem verè necessariam nostro  
 tempore! Si autem oportet nos Deo acce-  
 ptum ferre, quū terra nostra dat fructū, &  
 si quid boni operamur, quantò magis oportet  
 nos Deo ascribere, quòd Maria protulit  
 omnibus nobis fructum salutis? Ecce ita  
 tandem ad alteram huius concionis veni-  
 mus partem. Quomodo possem autē bre-  
 uibus verbis commodiorem admonitio-  
 nē facere, quā vt cum Dauide dicam:  
 Confiteatur tibi populi Deus, confiteantur  
 tibi populi omnes, terra nostra dedit fru-  
 ctum suum. Imò o Domine, da gratiam,  
 vt cognoscamus in terra viam tuam, in o-  
 mnibus gentibus salutare tuū. Fructus hic  
 de cælo quidem venit, atqui ex terra tamē  
 exortus est: Terra nostra dedit fructum,  
 ait Dauid. Et rectē quidem beata virgo  
 Maria terra nostra vocatur: eò quòd no-  
 stræ naturæ fuit, præter quod tanto antè  
 tempore

tempore prænuntiata, præmonstrata, & præfigurata fuit, & quomodo cœlestem terra talem potuit fructum ferre? Dominus (inquit) dabit benignitatem. Et hoc non debet ita intelligi, quòd tantum per Spiritum sanctum Dominus eam fœcundam fecerit in corpore, sed insuper omnibus virtutibus, & dominijs spiritualibus ornauerit in anima. Dominus inquam prius eius mentem donis suis, quàm ventrè impleuit, Arcam prius splendidissimè decorauit, quàm in ea manna illud cœleste reponeret: Dedit benignitatem, vt terra nostra benigna esset, quæ talem ferret fructum, & tam sancta terra tam sanctum pareret fructum, vt delibatio sancta perinde, ac massa, vt denique radix esset sancta, sicut ramus, qui hinc processurus erat à principio, fuit. Postremò vt virga sancta esset de radice Iesse, vnde processurus erat flos Nazareus, super quem requiesceret Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis: quem & repletet Spiritus timoris Domini. Etenim dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Atq; hoc quod hîc dicit: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum.



En hoc tandem est, quod pius quisq; & facere, adeoq; & mente secum voluere debet, vt nempe miserationum eius recoremur, eumq; laudemus, super his hæc & fecit & dedit nobis per Mariam. Hoc autem cuiusque deuotioni commendatum esse volo. Nunc & semper Dominus suam gratiam nobis impertiri dignetur : qua adiuti, eum ritè laudare, & opera eius, vt dignum est, perpendere possimus, faxit Deus.

## Sermo Nonus.



**I**N præcedente Sermonè verba hæc: Terra nostra dedit fructum suum. ad diuam virginē retuli, propterea quòd aliqui veterum hūc versum de fructu Virginei vteri exponunt, & quidem mea sententia, satis concioné. Quamquam ego iuxta hoc paucis ostendi, quid prætereà Spiritus sanctus in his verbis velit, nempe inuenire sibi agnitionem Dei, & quòd ex Christi præcepto sequatur, quòd terra, hoc est, homines, alios allatura sit fructus, quā inde ab exordio attulisset. Et propterea hoc omnes gētes & populi Deo gratias agendi occasionē satis quidem ponderosam

rosam habituri essent. Et hoc idem omni quoque tempore re ipsa cōpertum est, vbi Christus p̄dicatus, & cognitus fuit. Et etiam nunc quoq; cōperitur, vbi veri Christiani sunt, Vbi enim viæ Dei, misericordia & salutare agnoscitur, vbi Euangelium & Spiritus sanctus accipiuntur, ibi certò sequitur, quòd Deus colitur fide, spe, charitate, quòd proximo inseruitur, & quòd volūtati diuinæ adimplendæ in omnibus studetur.

Et in summa, quod sobriè, iustè, & piè vivitur in hoc seculo. Est autem hîc diligenter obseruandum, quod David verbū hoc, Confiteantur, bis ponit: In vtroq; autē loco specialē causam assignat. Primò enim omnes ad laudē Dei inuitat, propterea quòd Deus, & vindex, & dux esse vult, hoc est, vult nos vindicare ab iniuria, & ad bonum nos dirigere. Hoc autem reuera gratiarū actionem exigit. Nunc iterum omnes populos ad laudem Dei inuitat, hanc causam subnectens, quòd terra nostra dedit fructū suum, quasi diceret, Non modò Deo gratias agere tenemur, quòd plus curæ iam in nos impendit, quàm prius, sed quòd nos ex eius gratia nouæ creaturæ facti sumus, & omnino alij, quàm prius eramus. Quando enim Deus manū suam subtrahit, Diabolus maiorem habet potestatem. Nunc

Tit. 2

Ephes. 4

quando Christum agnoscimus; habemus iudicem, qui nostri curam gerit, eccui habemus hæc accepta ferre? Deo, prius eramus omnes filij diffidentiae, ambulantes in vanitate sensus, tenebris obscuratū habentes intellectū, alienati à vita Dei per ignorantia quæ erat in nobis, per cæcitatē cordis nostri, qui desperantes nosmetipsos trahebamus impudicitiae in operationem immunditiae omnis in avaritiam. Nunc post agnitum Christum, incepit etiam terra dare fructum suum. Prius eramus tanquam oues errantes: Nescitis (inquit) quod quum gentes essetis, ad simulachra prout ducebamini, ibatis. Nunc autem habemus pastorem, & ducem. Esset adhuc vnde gratias ageremus, si terra nostra, id est homines, ubiq; darent fructum suum. Quis autem non videt quantū in hoc à nobis cessatum sit hæctenus, & etiam nunc cessetur? In alio Psalmo loquitur Dauid tanquam Propheeta: Dominus (inquiens) dabit benignitatē, & terra nostra dabit fructum suum. Hoc erat futurum. In hoc Psalmo autem, futurum illud in præteritum mutatū est in nostra translatione: Terra dedit fructum suum.

Oremus Deum fratres charissimi nunc vel maxime, pro eius gratia, benedictione, & lumine, vt hoc præteritū in præsens mutetur,

Psal. 84

mutetur,

retur, Hoc est, vt terra nostra etiam nunc  
 det fructum suum, & homines etiam nunc  
 Deo credant, fidant, eum timeant, diligant,  
 tam solertes sint in omnibus bonis, vt fue-  
 runt in primitiua Ecclesia. In hoc negotij  
 cardo vertitur. Non satis est, quod terra  
 nostra dedit fructum, id est, quod boni &  
 integri Christiani quondam fuerunt, nisi &  
 etiam nunc quoq; probi Christiani sint, &  
 fiant. Quem autem fructum terra nostra  
 nunc ferat, quales modò Christiani finius,  
 plus iusto ad oculum, heu, patet. Vis vno  
 verbo, quod volo, dicam: Vox est, prætereà  
 nihil. Nominales vt vocant, aut verbote-  
 nus Christiani sumus, & vltra nihil. Verbū  
 Domini in manica, fidem in ore, diabolus  
 in corde, & in vita gestamus. Quò magis  
 viam agnoscimus, hoc lōgius ab ea disce-  
 dimus. Quò frequentius nobis Christus  
 prædicatur, hoc magis contra Christum vi-  
 uimus. Quādo igitur in nobis implebitur:  
 Confiteantur tibi populi Deus? Quis pro-  
 pter vitam nostrā Deo gratias agat? Quin-  
 imò omnes hanc deplorare habent, quod  
 terra nostra etiam post agnitionem Chri-  
 sti, & diuinæ voluntatis priores, & deterio-  
 res fructus adfert, quàm aliās vnquā. Hoc  
 ardentius orare conuenit, id quod David  
 in vltimo versu precatus repetit.

*Benedicat nos Deus, Deus noster, be-  
nedicat nos Deus. Et metuant eum  
omnes fines terræ.*

Hæc est conclusio huius Psalmi, bene quidem cœpti, at melius tandē finiti: Deus Misereatur nostri, erat exordium. Deus benedicat, est conclusio. Vtrinque positus Deus, vtrinque Dei gratia & operatio postulantur. Et quanquàm in primo versu etiam orauerit pro Dei benedictione: nihilominus tamē id ipsum denuo in hoc ultimo versu precatur: Benedicat (inquiens) nos Deus, Deus noster. aliquantò feruentius hoc faciens, quàm priùs fecerat: nobis ostendere volens permagni hanc Dei benedictionem nostra interesse, imò omnia in hoc sita esse. Dei nanq; benedictio præcedat oportet, siquidem Christum agnoscere velimus. Deinde, si cognitio Christi in nobis fructum operari debeat, iam iterū benedictio Domini hoc efficiat, necesse est. Postremò, si in bono quod felicibus auspicijs cœpimus: perdurare velimus, hoc quoq; benedictio Dei operetur necessum est, propterea non semel tantum David orat pro benedictione, non bis, sed tertio.

*Quoniam in hoc ultimo versu, hæc Be-  
nedicat*

nedicat, bis ponitur. Adhæc nominat etiã  
 David in hoc breui versu nomen Dei, id-  
 que non semel, sed ter: Deus (inquit) Deus  
 noster, benedicat nos Deus. Et sanè cer-  
 tum indicium est, quòd David hæc verba  
 ex magno affectu dixit. Nam sancti Dei  
 homines, sanctum hoc Dei nomē non fru-  
 stra aut incassum in os acceperunt, taceo  
 ita vanè, ita blasphemè, vt, heu, nunc fieri  
 comperimus. Vbi illi Deum nominabant,  
 non nisi Spiritus deuotio erat, & magnus  
 affectus adeóq; & fiducia, id quod notatu  
 dignum est, in hoc loco, vbi David non sa-  
 tis habet, quòd Deum bis suo nomine ex-  
 pressit, sed addit ( Deus noster ) id quod  
 verum argumentum est magnæ in Deum  
 fiduciæ, quemadmodum nos Christus in  
 Euãgelio, in oratione dominica facere ius-  
 sit. Nimirum Deum non solùm patrem  
 nominare, sed nostrum patrem, hoc præ-  
 bet magnã fiduciam. Quid enim me gau-  
 dio adficere potest, quũ audio, quòd Deus  
 pater est, si mihi non satis prospicere pos-  
 sum, quod etiam pater meus est? Sic etiam  
 hic. Quauis veteres nostri altius quiddã  
 perspexerint, & hæc verba ita acceperint,  
 quasi David hic mysteriũ trinitatis indica-  
 re voluerit, nēpe quòd tres personæ sint, &  
 vna diuina essentia, ideò ter Deũ nominat,  
in fine

in fine autem adiungit, & metuant eum omnes fines terræ. palam subindicans, quod hæc tres personæ, non tres Dij, sed tantum vnus verus Deus est. At hæc etiam hoc notatu dignum est, quod mediam personam, id est filium non simpliciter Deum, sed nostrum Deum nominat. Quod propterea factum esse constat, non tantum quod ea persona singulari quodam modo se nobis uniuert, naturam nostram assumendo, & tali unionione id consecutum est, quod etiam pater, & Spiritus sanctus noster quoque proprii sunt: Ipse (inquit) pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis, quia à Deo exiui. Et iterum: Mundus non cognouit Spiritum sanctum, vos autem cognouistis eum: quia apud vos manebit, & in uobis erit. Merito proinde dicitur: Christus noster Deus. Huius gratia possumus uersum istum, hunc in modum interpretari: Deus Pater, Deus Filius, qui noster proprius est, Deus Spiritus sanctus, Benedicat nobis. Et quid iam tempore noui Testamenti, tandem potuisset pius quisque Christiano homine dignius uel cogitare, uel loqui de hac sanctissima, adeoque & indiuidua trinitate, quam David hic loquutus est? Quid petit autem à sancta Trinitate? Benedictionem.

At quid opus illi erat petere benedictionem,

nē, quum prius dixerit: Terra dedit fructum suum? Atqui non satis ei est, quod semel dedit. Iam nunc vellet, vt semper daret, & non vno in loco, sed vbique. Per hanc igitur vltimæ benedictionis repetitionem, nihil aliud intendit, quàm vt Deus velit augere & cōseruare, quod semel cepit. Benedicere igitur idem est, quod multiplicare, sicut aliàs etiam sæpenumero in hunc modum accipitur, id quod dilucidè satis videre est in libro Genesis: Illic enim crebrò hæc dictio inuenitur. Sed plerunque nihil aliud significat, quàm augere rem aliquam, propterea in principio in prioribus tribus diebus, quum Deus fecisset lucem, firmamentum, solem, lunam, stellas, denique ab aquis terram segregasset, illic dictio hæc, benedixit, non ponitur. Non enim voluntatis Dei erat, quòd lumen, firmamentum, terra, aqua, sol, luna, stellæ augeri debeant, sed ita perpetuò manere, sicut à Deo ab initio creata fuerunt. Quum verò quinto & sexto die crearet Deus omnem herbam virentem, pisces, volucres, & omnis generis animantia, demū & hominem ipsum, illic perpetuò additur, Benedixit Dominus illis. Voluit enim Deus, vt omnia talia crescerent, & multiplicarentur. In hunc sensum accipitur verbū hoc etiam in alijs

Genes. 1



in alijs locis, vt quū Dominus ad Abraham diceret: Egredere de terra tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstra uero tibi, faciāmq; te in gentem magnam, & benedicam tibi. Quomodo benedicam? Sequitur: Et magnificabo nomen tuum. Sic in Psalmo: Ecce sic benedicetur homo, qualis benedictio? Vxor tua sicut vitis abūdans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut nouellæ oliuarū in circuitu mensæ tuæ.

Sic quoq; hoc in loco nihil aliud David, cum hoc verbo (benedicat) vult, quā vt Deus hoc quod bene, & felicibus auspicijs in nobis cœpit, augeat, & adiuuet, & seruet.

Primum quidem fructum vtcumq; delibauit. Ex benedictione tua o Deus, nos te agnoscimus, adauge eam benedictionem, vt etiam gentes incipiant ferre fructum, sicut Ecclesia. Exo. 1. Ad hūc modum Christianus quisque pro se ipso orare potest: O Domine, tu me benedixisti, quod te agnouit, quod fidem tuam confessus sum. Auge nunc benedictionem, vt instituam vitam Christiano homine dignam, vt cōstans sim in fide, denique in finem vsq; perseuerem.

Et quidnam quisquam possit melius orare pro se? Quid etiam melius orare possemus pro tota Ecclesia? Maximè hoc periculosissimo tempore. Nunc autem iam inde

ab exordio nostis, quòd ideò hunc Psalmũ incepti, quando pius Cæsar, denuo cum statibus regni cõsilium inuit, qualiter collapsæ Ecclesiæ succurri possit, vt & nos quoque interim sciamus orare, pro ijs quæ negotio huic inferuire possunt. Et quã tandem meliorẽ orandi formã habere aut optare possimus, quàm hunc Psalmũ: Deus misereatur nostri, &c. Deficit me tempus, nõ possum hoc vltimũ verbum ad liquidum excutere: nam propriũ exposcit sermonẽ, & quidem hoc ipso dignum. Dominus det gratiam.

## Sermo Decimus.



Erueimus nunc tandem in Psalmo lxxj. ad vltimũ vsq; versum: quem quidem nuper incepti, at non finiui. Omnia quidem hæc tribus aut quatuor sermonibus complecti potuissẽ.

Quando autem nullum adhuc finem concionandi mihi polliceri possim, nolui festinare, sperans nihil nimium aut superuacaneum adhuc dictum fuisse, imò scio adhuc multa circa hæc dicenda esse, sicut Psalmi non satis accuratè, & ad riuum excuti possunt. Quotiescunq; enim eos quis legendos in

dos in manū acceperit, semper aliquid repositum inuenit, prius non obseruatum id, quod quilibet fatebitur, qui cum diligentia eos legerit. Sed

*Est modus in rebus, sunt certi demiq; fines.*  
 Nolo me amplius in eo explanando remorari. Hunc honorē Spiritui sancto habere volo, & me agnoscere cui impossibile fit omnia perspicere, & cōmonstrare, quæ idem Spiritus sanctus est per hunc Dauidē loquutus. Sex versus habet Psalmus hic, nouem iam ex eodem feci sermones, hic iam decimus est, & hoc ipso receptui canere institui: Utinam tanto feruore & Spiritus ardore, quo ipsemet Dauid eundem concludit. Verba ipsius audistis: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Hic fuit vltimus versus. Ad hoc dixisse me memini, quòd nulla ratione hæc incassum dicta à quoquam æstimentur, nimirum, quòd nomen Dei ter in vno breui verbo exprimit. Pariter nequaquam incassum putandum, quòd in hoc ipso versu iterum petit benedictionem, & hoc nō semel tantum, sed bis. Quum id ipsum ipsemet in primo quoq; versu fecerit. Apud mūdi sapientes vitio datur hæc ταυτολογία, hoc est, vnius verbi frequens repetitio. Nunc  
 autem

autem David in hoc breui Psalmo ter dixit: Benedicat nos Deus, Quater: Confiteantur tibi populi Deus. Si quis coram mundi huius sapientibus faceret, rideretur ab hominibus, quod in tam breuibus idem verbum toties repeteret. Atq; spiritum sanctum huius neutiquam pudet. Etenim verba sua non eò instituit, vt suauem reddant sonum auribus, sed vt corda penetrent. Ad verba quæ docti huius mundi aliquando loquuntur, præstaret aures obturare, taceo, quod in cor immitti permittantur. Hic autem summa vtilitas, quum quàm fieri potest altissimè in cor sermo penetrat. In ambobus nihil nouum, nam similia quoque in alijs locis legimus. Sic enim Moyses ait: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus vnus est. En hic etiam tertio repetitur nomen Dei etiã in vno versu. In Isaia canunt angeliter: Sanctus, Sanctus, Sanctus. David: Sedes (inquit) tua Deus in seculum seculi: virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus. En hic habes etiam in vno versu bis nomen Dei, eò minus mirari conuenit, quod hic similiter facit. Spiritus sanctus voluit vbiq; indicare mysterium Trinitatis, ita tamen vt pijs tantum manifestum esset, impijs verò occultum.

Isaia 6

tum maneret. Ita etiam nulli mirum esse debet, quòd Dauid ter petit benedictionem Dei. Et quid tandem nobis magis necessarium? Quid effemus nos? Quid sciremus? Quid possemus? Vbi deniq; inueniremur? Quomodo postremò confisteremus, nisi benedictio Dei præcederet, cooperaretur, & tandem subsequeretur? Talem autem Dei benedictionem parui æstimas? Dauid sanè eam magni æstimat. Huic enim Deus oculos aperuerat, vt videre posset, quomodo homo ex se ipso nihil sit, & possit, & quod Dei gratia & auxilio maximo-pere egeat. Vt autem ad finem tandem veniamus, vt quoq; vniuersi sciant, quur tantopere Dei benedictionem petat, subiungit Dauid: Vt metuant eum omnes fines terræ. Non equidem mala exoptatio. Imò super terram melius optari à quoquam nihil posset, quàm vt omnes & vbiuis locorum Deum timerent. Ibi enim nihil esse posset mali, ibi quoq; nihil committeretur mali, ibi nemo quicquam iniustum faceret alij. Ibi nullum locum obtinere posset Idòlatria, blasphemia, adulterium, furtum, detractio, falsum testimonium, homicidium. Quinimò ibi nihil aliud conspiceretur, quàm omne bonum. Ad hoc enim plurimum, vt si quid aliud, valet timor Domini.

Initium

Initium enim sapientiæ timor Domini. Psal. 110  
 Per timorem enim Domini declinat omnis homo à malo. Nam timor Domini odit malum. Et iterum: Qui timet Deum, faciet bona, &c. Non igitur sine causa Dauid optat: Vt omnes fines terræ Deum metuant. Signanter autem notandum, quomodo tam pulchrè omnes fructus recenseret, qui ex agnitione Dei & Christi meritò sequi debent, nempe Primò, vt Deus laudetur. Secundò, vt pax & gaudium, sed in conscientia sequatur. Tertio vt terra nostra fructum det. Quarto, vt Deum timeamus. Hi sunt veri fructus Euangelij, quum & Deum & proximum incipimus agnoscere. Et vbi horum vnus aut plures defuerint, certè Euangelium necdum verè auditum est. Imò quisquis diuini verbi prædicatoris nomine censetur, huiusmodi parui pendit, aut eis non incumbit, is sanè nequaquàm Euangelici Concionatoris nomine dignus est. Dauid non finit ibi gradum figere quenquam. Non satis esse putat, vt cognoscamus viam & salutare Dei, sed etiam lætemur, Deum confiteamur, vel laudemus, bonos feramus fructus, & in timore Dei persistamus, proinde nec nos quidem ibi gradum sistamus. Quis autem non videt, quòd modò ma-

ximus in hoc sit defectus? Facile quidem reperiuntur, qui graphicè quidem sonare sciunt, semper in ore habentes Dei viam & salutare, idque in non modicum commo- dum hoc sibi vertere nouerunt: commu- nis popelli ora latissimè, vt dici solet, didu- centes, sed in hoc vno perpetuò consistunt, non vltra ad fructus etiam progredi con- tendunt, qui subsequi deberent. Hinc vul- gus illud ignobile opinatur satis esse, viam Domini, adeoque & Christum ipsum cog- nouisse, nihil vltra cogitans, imò pro lu- dibrio & blasphemia habet, quando ad vl- teriora etiam se adigi videt. Id quod vbiuis locorum, iam videre est: iam enim nō aliud quicquam audire volunt, quàm de sola il- la fide. Et cui tandem hoc accepto feren- dum, quàm immodestis illis prædicatori- bus? Eia fratres, si ita negotio huic satisfa- ctum esset, quando quis & Deum & Chri- stum agnosceret? Dauid planè Psalmo huic iam dudum summam manum imposuisset: nam fructus haberet, & non vnum tantum, sed quatuor. Et hoc verbo iterum nos tan- git, Ita enim iam plerique nostrum adfecti sunt, vt quantum maximopere contenda- mus, vt Euangelium fructum tandem pro- ferat, ad duos tamen priores tantum ten- dunt, nempe vt Deus laudetur, & conscien-  
tia

tia consoletur: alios duos, nimirum, quod terra nostra det fructum, & quòd timeamus Deum, non putamus necessarios. Nemo amplius quid quærit. David autem alium habet spiritum, huic non satis est, vt ex cognitione Dei & Christi in conscientia gaudium & læticia oboriatur, & Deus laudetur, sed vult insuper, vt & terra quoq; nostra fructum ferat, & porrò vita & conuersatio nostra in timore Dei deducatur. Hic iam vide, quem Spiritum habeas, si hos duos postposueris fructus. Scimus Spiritum sanctum per Dauidem loquutum fuisse. Huius quoque vestigijs hæere volumus, & nihil dubitare, quin simul esse oporteat, quod David simul posuit: Qui aliter sentit, vel agit, is pro se rationem reddet. Nos rectam viam teneamus. En igitur quisquis Christi nomine censeri velis, scire debes, quòd etiam boni fructus & timor Dei ad Euangelij prædicationem requiruntur, David non te seducet. Benedicat nos Deus noster. Hic sanè, hic inquam noua opus est benedictione, vt terra nostra det fructum, & metuant eum omnes fines terræ. Ideò bis ponit Benedicat, vt omnes videant, quòd etiam in his quoq; non nihil situm sit. In summa vltimum, quod David petit in hoc Psalmo, est, vt omnes timeant

2.Re.23



Deum. Et hic iam pius quisq; cogitare haberet, Primò quòd dicit: Metuât eum, non simpliciter dicit: Metuant, sed vt eum metuant. Aliò qui nihil nouum est, si homo timet, multò quoq; aliud est, Deū timere, & pœnam timere. Dauid nō patibuli, sed Dei timorem subindicat. Ille seruilis, hic est filialis, ideò dicit: Metuant eum. Verè enim multò aliud est, Deū timere, & pœnam timere. Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi. Vbi verò timetur pœna, is timor non diutius periculo ipso permanet.

**Pfal. 18** Hoc tandem est Deum timere, quū quis eum propter se ipsum timet, non eò quòd puniturus sit, & damnationi quemquā adiudicaturus est, sed propter se ipsum, ne videlicet eum aut offendat, aut totum amittat: Sicut filius patrem, vxor maritū timet. hic timor prouenit ex amore. Quia filius patrem amat, semper timet, ne fortè eum offendat, id quod seruus non facit. Timet quidem & ipse Dominū, sed tantū ne vapulet. Aliò qui nihili facturū, irascetur aut rideret. Sic de proba vxore, quia diligit virum, timet semper ne offendat, & eū perdat. hoc non facit adultera, timet quidem & ipsa quoque virum, sed tantū ne malitiam suam resciscat, & pœnā de ipsa sumat. Illa, quæ proba est, timet ne maritus foris maneat

maneat, hæc autem, quæ adultera est, timet ne veniat. Hoc exemplum & Augustinus quoque dat, quo agnosci possit, quis sit verus timor Dei, Deus vult timeri, sicut filius timet patrem, bona vxor maritum: nõ vult timorem seruilem, vt in lege. Non hypocriticum & simulatum, sicut in tribulatione, & periculo, sed filialem. Non accepistis (inquit Paulus) Spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei: in quo clamamus, abba pater. Hic timor filialis, nihil aliud est, quam reuerentia & cultus Dei, vbi Deus præ oculis habetur, illi seruitur, eius voluntati adimplendæ opera impenditur, cauetur ab omni eo quod ipse prohibet, fit quod iubet, Hoc est timere Deum propter se.

Rom. 8

Hic est timor Dei, de quo scriptura tot bona prædicat, Quis det vt timeant Deum? Item: Deum time, & mandata eius obserua, Multa bona habebimus, si timuerimus Deum. Beatus vir, qui timet Dominum. Et iterum: Timete Dominum omnes sancti. Hunc timorem Dauid libenter habere, & videre vellet in omnibus hominibus. Da benedictionem õ Domine, vt omnes te cognoscant, omnes te timeant, colant, diligant, obediant, ob oculos habeant, tui nunquam obliuiscantur, nunquam

Deut. 6

Eccle. 12

Thob. 4

Psal. 111

Psal. 33

Psal. 13

quàm cōtra te agant, omni tempore tuam  
 voluntatem faciant. Ecquid potuisset me-  
 lius orare? Quomodo potuisset melius cō-  
 cludere? Efflet sanè iam nunc Ecclesia re-  
 formata, hoc vno & solo impetrato, nem-  
 pe, quòd omnes homines Deum timerent,  
 vnde tandem quicquid mali est in mundo  
 prouenit, iniustitia, leuitas, &c. nisi hinc,  
 quòd Deum non timemus. Non est timor  
 Dei ante oculos eorum, queritur David,  
 propterea os eorū plenum est maledictio-  
 ne & amaritudine: pedes eorū veloces ad  
 effundendum sanguinem. Igitur non fru-  
 stranea oratio est, quòd David omnibus  
 hominibus optat Dei timorem. Hoc enim  
 complectitur omnia, hoc propellit ad om-  
 ne bonum, seruat ab omni malo. Vbi hic  
 nempe timor Domini non sequitur, in cas-  
 sum fit quicquid tandem de Deo, Dei via,  
 aut de Christo dicatur, Deus misereatur  
 nostri, &c. Tantum dictum volui de hoc  
 psalmo. Pius quisq; & cognoscat & præter  
 hoc etiam penes se hæc meditabitur.

Ego hic colophonem, vt dici

solet, adpositum volo,

&amp; finem faciam,

Amen.

SOLI DEO GLORIA.





UNIVERSITY OF  
ALBANY  
1872



